MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80058-3

AUTHOR:

KALB, ALFONS

TITLE:

DE DUODESEPTUAGE-
SIMO CARMINE...

PLACE:

ANSBACH

DATE:

1900

Master Negative #

91-80058-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87034
EK Kalb, Alfons, 1876-
De duodeseptuagesimo carmine Catulli; dissertatio inauguralis, quam... scripsit Alfonsus Kalb...
Ansbach, Brügel, 1900.
63 p. 24 cm.

Thesis, Munich.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/25/91 INITIALS N.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De

duodeseptuagesimo carmine Catulli.

Dissertatio inauguralis,

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Monacensi

rite impetrandos

scripsit

Alfonsus Kalb

Augustanus.

Ansbach.

Druck von C. Brügel und Sohn.

1900.

De

duodeseptuagesimo carmine Catulli.

Dissertatio inauguralis,

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Monacensi

rite impetrandos

scripsit

Alfonsus Kalb
Augustanus.

Ansbach.
Druck von C. Brügel und Sohn.
1900.

Multi eorum, qui hac aetate sexagesimi octavi carminis Catulli tractationem susceperunt, in exordiis dissertationum excusationes attulerunt, cur materiem tam saepe pervestigatam repeterent. Quos merito veniam rogavisse nego, quia ius est officiumque philologorum incognita etiam atque etiam denuo aggredi, etsi inexsuperabilibus vim afferre videntur. Nam si fastidio esset, conturbatas et contortas res explicare, nunquam profecto litterarum studia procederent, sed haererent in antiquis falsisque. Itaque etiam de his tam difficilibus amplisque carminis LXVIII quaestionibus non licet desperare atque desidere, praesertim cum longam disputationum seriem contemplantes intellegamus haud exiguos progressus in explicando poëmate factos esse.

Antiqui enim commentatores omnes illud carmen e manuscriptis (cf. cap. VI) unum continensque esse arbitrabantur nimis partim variorum argumentorum compositionem admirantes. Neque L. Santenius, qui a° 1788 elegiam Manlio dedicatam propria illustravit commentatione (C. Valeri Catulli elegia ad Manlium, Lugd. Bat.), quidquam aliud in quaestionem vocavit nisi singularum vocum lectiones. Primus autem A. Rodius in libro, qui inscribitur »Philosophische und andere Gedichte aus dem Lateinischen« (Hamburg 1786), de carminis LXVIII unitate dubitavit (p. 81). Convertit enim solos vv. 1—40, quod absolutum carmen esse duceret (cf. Gurlittium in »Catulls epischer Gesang v. d. Vermählg. des Peleus u. d. Thetis« Lips. 1787 p. 6!). C. Ramlerus deinde[1]) (»Katullus in e. Auszuge lat. u. deutsch« Lips. 1793 p. 120 sqq.) non modo hanc disiunctionem firmavit statuendo vv. 1–40 litterulas esse, quas ex argumentis a sequentibus discerni oporteret, sed etiam vv. 41–160 e diversis quibusdam partibus conglutinatos voluit, cum distingueret et poematis de Laodamia reliquias[2]) (73–90 + 101–132) et carmen

---

[1]) Non ergo Ramlerus, ut plerique dicunt, auctor exstitit seiunctionis. Nam inter ea poëmata, quae ille in »Berliner Monatsschrift« 1784 convertit e Latino, c. LXVIII non reperiri ipse vidi.

[2]) Putabat enim fieri non potuisse, ut Catullus Lesbiam, quae maritum deseruit, cum fida Laodamia conferret atque ita pudore afficeret. Sed poëtam non Laodamiam cum Lesbia, sed ardentem utriusque amorem comparavisse iam A. Weisius (in pr. Naumbg 1863 pg. 14) cognovit.

in amici honorem panctum (41—72 + 133—136 + 143—160) et paucos versus de morte fratris scriptos (91—100). Circa quinquaginta autem annos editores Catulli has sententias contemnentes unitatem carminis obtinebant (cf. edd. Silligii, Gotting. 1823, Lachmanni Berol. 1829, Doeringii Alton. 1834). Etiam M. Hauptius a divisione abhorrebat (cf. Belgerum: »M. Haupt als acad. Lehrer« Berol. 1879 p. 246/7!). Iterum autem Froehlichius a° 1849 (in »Abhdlgn. d. k. bay. Ac. d. W.« V/III p. 262 sqq.) vv. 1—40 carmen absolutum (= LXVIII a) esse constituit eique opposuit alteram elegiam LXVIII b (= vv. 41—160). Quam seiunctionem prima editio Rossbachi (Lips. 1854) recepit; defenderunt autem Th. Heysius »Catulls Buch d. Lieder« Berol. 1855, Hertzbergius-Teuffelius in translatione libri Catulliani 1855, Th. Bergkius in »Rhein. Mus.« XV p. 513, Schwabius (»Quaest. Cat.« Gissae 1862 et in ed. Berol. 1866), Ribbeckius (»Catullus« Kiel. 1863), Ed. Brunèrus (»de ordine et temporibus carm. Cat.« »Act. societ. Fennic. VII/1863). O. Gruppius quoque (in »Minos« 1859 p. 503 sqq.) illam carminis sectionem comprobavit, sed ita, ut neutram partem a Catullo ipso factam esse putaret. Sed nemini eius argumenta ad arbitrium prompta[1]) persuaserunt. Omnia porro, quae Ramlerus excogitaverat, redintegravit A. Weisius (in progr. Naumbg. 1863). Haec enim secrevit carmina: 1—40 »ad Manlium«; 41—74 + 131—148 »laudes Manli«; (75) 77—90 + 101—130 »de Laodamia«. Versus 94—100 in carmen CI transtulit.[2]) Sed quae Weisius invenerat compositione versuum 41—160 male interpretata commotus, maximam partem a viris doctis repudiata sunt.[3]) Nam bipartitionem (secundum Froehlichium) receperunt O. Frankius (in diss. »de artif. carm. Cat. compositione« Gryphisw. 1866), Westphalius (»Catulls Gedichte« Vratislav. 1867), K. P. Schulzius (in diss. »de Catullo Graec. imitatore« Jenae 1871), P. Weidenbachius (in diss. »de Catullo Callimachi imitatore« Lips. 1873), Ellisius (in ed.[1] Oxon. 1867)[4]). Itaque Aem. Baehrensius in »Analectis Catullianis« (Jenae 1874) dicere potuit (pg. 4 ann.) sibi duorum carminum separationem ita firmatam esse videri, ut non intellegeret, quomodo quisquam illa in unum coniungere vellet. Sed ex hoc dicto acerrima certamina orta sunt quindecim fere annos con-

---

[1]) cf. cap. VI in ann.

[2]) vv. 91—93 et 149—160, quos medii aevi (!!) falsarium composuisse censuit (p. 21), a Catullo abiudicavit.

[3]) Neque nos iuvat haec inutilia latius disserere. — Ceterum, quae Ellisius in ed.[2] Oxon. 1878 append. p. 272 de Weisi partitione profert, erroribus abundant.

[4]) qui unitatem quandam carminis obtinebat. cf. cap. VI.

tinuata. Nam H. Magnus contra »τοὺς χωρίζοντας« in »Fleck. Jahrb.« 1875 p. 851 sqq. omnia argumenta, quae afferri potuerunt, in defendendam unitatem adhibuit. Eius autem sectatores erant A. Kiesslingius (»Anal. Cat.« 1877)[1]), F. Schoellius (Fl. J.-B. 1880 p. 471 sqq.), O. Harneckerus (»Das 68. Ged. d. Cat.« pr. Friedebg. 1881), K. Jakobius (in Fl. J.-B. 1882 p. 143). Quibus pares adversarii non exstiterunt ex eis, qui seiunctionis causam agebant (Baehrens. in ed.[1] Lips. 1876 et in comment. 1885, Ellis. in comment.[1] Oxon. 1876[2]), Munro in »criticisms and elucidations of Catullus« Cambridg. 1878, M. Schmidtius in »Fl. J.-B.« 1880 p. 778).

Novam quaestionem deinde Riesius addidit, cum in ed. Lips. 1884 tres carminis partes divellendas esse vellet: c. 68^a = vv. 1—40; 68^b = 41—148; 68^c = 149—160. Hoc autem minime factionibus disceptantium placuisse videmus; nam perpauci Riesii propositum dignum habuerunt, quod dissereretur, cum plurimi incisionem apud v. 40 factam solam in commentationibus tractarent. Ad quam etiam pertinent gravissimi libelli Hoerschelmanni (»de Catulli c. LXVIII commentatio« Dorp. pr. 1889) et Birtii (»de Catulli ad Mallium epistola« Marbg. pr. 1890). Ille quidem, qui unum carmen tenebat, ut falsis et inanibus rebus abolendis operam dedit, ita nimio studio certa quoque, quae iam pridem condita erant, diluit; hic, cum optime de singularum partium interpretatione mereretur, ad summam tamen perversa et incredibilia commentus est. Eodem anno, quo Birtius, etiam H. Weberus in »Quaestionibus Catullianis« (Gothae 1890) c. LXVIII tractavit miram proponendo rationem.[3])

Inde ab eis autem studium doctorum remisit, quod frustra incitabat F. Skutschius eis quae in »Rhein. Mus.« 1892 p. 138 sqq. contra F. Hermem (»Beitr. z. Kritik d. Cat.« pr. Frankf. a/O. 1888; ibid. 1889 pr. »Neue Beitraege«) producebat. Nuperrime igitur omnino fere rixa conticuit. Hoc autem modo de carmine LXVIII recentiores editiones se habent: **unum** praebent carmen Hauptius-Vahlenus Lips. 1885, B. Schmidtius ed. mai. Lips. 1887, Ellisius ed.[2] 1878 et comment.[2] 1889, L. Muellerus Lips. 1892, Palmerus 1896; **duo** separata legis carmina apud L. Schwabium Berol. 1886, Benoistium-Thomasium in comm. 1890 Paris., Baehrensium-Schulzium ed.[2] Lips. 1893.

---

[1]) vide cap. VI!

[2]) cf. annotationem 4 in pg. 2!

[3]) cf. cap. VI!

Quia igitur verum adhuc in dubio relictum est, proposuimus illas quaestiones de c. LXVIII allatas penitus perspicere ita, ut, quae alii excogitaverint, contemplantes veri simillima colligere atque inde iudicium certum efficere conemur.

Non equidem ignoro plura de his causis et tractata et tractanda esse quam quae mente contineri possint. Veniam igitur petere decet illis Thomasii (tom. II p. 346): »qui se flatterait, vu l'abondance de la production, de tout recueillir et de tout voir? Qui pourrait même se donner la tâche de tout citer, sans risquer d'oublier quelque chose?«

I. De amici nomine.

Toto carmine LXVIII sexies nomen amici, ad quem argumenta pertinent, indicatum esse videtur[1]). Quibus locis (v. 11, 30; 41, 50, 66, 150) optimis libris manuscriptis (O = Oxoniensis, G = Sangermanensis, M = Venetus[2]), D = Datanus) hae praebentur lectiones:

al mauli
v. 11: mali OG mali MR[3])
»malli« corr. ex »manli« D
v. 30: mali OGM
»malli« corr. ex »manli« D (— non ex »mani«, quod ait H. Magnus i. »J.-Ber. f. Altertumsw.« 1887/II p. 153. —)
v. 41: quā fallius OGM
v. 50: alli O ali G alii M
v. 66: »allius« i. marg. »l manllius« O manlius GM
»mallius« ex »manlius« corr. D
v. 150: »aliis« codd. omnes.

Ex hac collatione ipsa manifestum fit in vv. 11 et 30 nomen vel »manli« vel »mal(l)i« firmissimum esse. Neque vero metrica ratione ibidem alia appellatio bisyllaba admittitur ac quae a

[1]) si titulos poëmati in libris quibusdam superscriptos omittimus. De quibus cf. pg. 10 ann. 1!

[2]) Nuper demum adhibitus, cf. Schulzium in »Hermes« XXIII p. 567 sqq.; contra Magnum in »Burs. Jahr.-Ber.« 1899 (t. CI/1) pg. 92 sqq.

[3]) R = cod. Romanus; cf. Schulzium in »Hermes« XXXIII p. 511, qui praestantiam libri a W. Gardnero Haleio in »Classic. review« 1896 (mense Julio) defensam in dubium vocat. Contra quod Haleius in »Hermes« XXXIV/1 pg. 137 sq. demonstrare conatur codicem R, quem post annum MCCCCVI exaratum esse negat, prope libros O et G locum tenere.

litera consonanti incipiat. Ceteris locis autem ita lectiones inter se discrepant, ut primo aspectu nil certum investigetur nisi quod in v. 50 nomen a vocali exordiens necessarium est. Quia autem etiam codices interpolati de horum versuum lectionibus dissentiunt — habent »ma(l)li«, »al(i)i«, »manli« etc. —, ipsi prisci commentatores, qui illis deterioribus libris utebantur, coacti sunt, ut disceptationem de nominibus instituerent. Sed liceat has antiquiores opiniones emendationesque omittere, quae incerto minorum codicum fundamento exstructae, etsi hodie quoque maxima admiratione dignae sunt ob ingenium, tamen minimum valeant ad vera investiganda[1]).

Universa enim nominum inquisitio aliquantum commutata est, cum Ellisius i. ed.[1] 1867 et Baehrensius i. ed.[1] 1876 codicis O lectiones vulgarent easque plerumque antiquas fidasque esse demonstrarent. Qui liber in v. 66 maxime dubio nomen »alli« ostendit, quo priorem A. Rossbachi (1854) coniecturam optimam fuisse apparuit. Atque F. Schoellius (l. c. p. 473) nomen »Alli« non modo in vv. 41—160, sed etiam in vv. 1—40 statuendum esse censuit, cum praenominis (»Manius« sec. Lachm.) compellationem a consuetudine Catulli abhorrere cognovisset neque tamen carminis unitatem omittere vellet. Itaque per vim in v. 30 adegit »id, mi Alli, non est . . .«; in v. 11 autem emendavit: »incommoda, amice«. Quae defendendae illius unitatis gratia inventa nullo codicum documento nituntur.

Illa autem libri O lectio etiam ad pristinas Lachmanni emendationes (cf. h. pg. ann.) corrigendas valuit. Nam complures »unitarii« nunc ita illi adstipulabantur, ut in v. 66 potius »Alli« quam »Mani« nomen scribendum esse opinarentur ratiocinantes Catullum in prologo epistolae simili (vv. 1—40) familiariter praenomine usum esse, in sublimi autem laudatione (vv. 41—160) utique grande nomen gentilicium adhibuisse (cf. Magnum in Fl. J.-B. 1875 p. 850; Kiessling. p. 15). Suo porro iure Bernh. Schmidtius secundum Schoellium (p. 473) conclusit (in ann. crit. ad vv. 66 et 150, p. CXXVII sq.) non modo in vv. 11/30, sed etiam in v. 150, a quo epilogus (vv.

[1]) Dico proposita Th. Marcili: in v. 50 »Auli«; ceteris locis »Manli(us)«;
J. Scaligeri (ed. 1577): vv. 41, 50, 150 »Alli(us)«; 11, 30, 66 »Manli(us)«;
Lachmanni (ed. 1829): vv. 11, 30, 66: »Mani(us)«, 41, 50, 150: »Alli(us)«.
Rossbachi: omn. loc. »Alli«; Heysi: vv. 41, 50, 150 »Acili(us)« v. 66 »Manius«.

149—160) iterum epistolare genus scribendi ostendens initium caperet, praenomen »Mani« exspectandum esse [1]).

Haud ita difficilis eis, qui carmina LXVIII[a] et [b] diremerunt, res se habebat. Omnes fere enim »χωρίζοντες« illic nomen »Manli« vel »Mal(l)i« statuerunt, hic »Alli«. Quod secuti sunt, etsi propter coniunctionem carminum conservatam »Manlium« et »Allium« eundem esse proposuerunt: Ellisius (in edd. 1867/78 [p. 168] et in comm. 1876), Eichlerus (in pr. Oberhollabrunn. 1872)[2]), Riesius (p. 219). Sed nemo Romanorum ante posteriorum Caesarum aetatem duobus nominibus gentiliciis praeditus erat (cf. K. P. Schulzium in »Ztschft. f. d. Gymn.-W.« 1880 p. 362). Scaliger igitur quondam commentus est illum amicum Allia gente natum postea in Manliam adoptatum esse (cf. »Viniam Aurunculeiam« c. LXI!). Verum si ita se res habebat, Catullus amicum e Latinorum consuetudine non »Manlium Allium«, sed »Manlium Allienum« appellare debebat. Quare Sc. sententiam suam defendit dicendo Catullum versus numerorum causa nomen »Alli« pro »Allieno« adhibuisse. Hanc adoptionis opinionem tum Riesius magis confirmare studuit, qui in comm. p. 219 (et 112) protulit Ciceronem quoque Atticum a Caecilio iam adoptatum familiariter »Pomponium« pro »Pomponiano« nominavisse (cf. ep. ad Att. III/15/7; IV/2/5; VII/7/7; Brut. c. 3 § 10). Perinde in hoc carmine poëtam blande et amanter priore amici nomine »Mali« uti (— R. enim contra Sc. arbitratus est germanum sodalis patrem e gente Malia fuisse, adoptivum autem ex Allia —), cum sollemnem »Malliani« appellationem vitaret. Ellisius in ed.[2] p. 169 autem praeter Scaligeri explicationem alias argutias proposuit, velut »Mallium Allium« e Sabinorum consuetudine duo nomina gentilicia habuisse (— confert »Attium Navium«, »Marium Egnatium«, »Statium Gellium« etc. —) aut nomen alterum (vel »Malli« vel »Alli«) e gentilicio praenomen factum esse, quae opinio etiam Eichlero placuit. —

His sententiis explanatis nunc ad quaestionem ipsam accedimus. Primum quidem inquirendum est, utrum reapse omnibus locis, quos supra enumeravi, nomen amici desideretur necne. Satis constat in v. 11, quia initio gravis enuntiati adversativi amicum adhuc ignotum nominatum iri quis est quin exspectet? Itaque Schoelli (cf. pg. 5!) correctio: »incommoda, amice«

[1]) scripsit in v. 150: »pro multis, Mani, r. o.«.

[2]) »Quo iure c. LXVIII Catulli a nonnullis viris doctis in duo carmina dirimatur«.

Hoc scriptum mihi defuisse doleo, quod ne in ipsius gymnasii Oberhollabrunnensis quidem bibliotheca iam exstare comperi.

praeterquam quod cum litterarum manuscriptarum ductibus nimium discrepat, iure removetur, cum sic ex supervacuo appellatio brevi ante (i. v. 9) adhibita iteretur. Fieri deinde non potest, ut in v. 41, in sublimi commendatione ad Musas facta, et in v. 50 (»nomine«!) et in v. 66 (»tale fuit nobis . . . auxilium«) nomen adesse negetur. Neque quisquam id conatus est, non magis quam in v. 30, ubi nomen, etsi non utique necessarium, tamen profecto aptissimum esse constat.

Aliter autem se habet v. 150. In quo omnes fere codices exhibent: »hoc tibi . . munus Pro multis aliis redditur officiis«. Facillime hic Scaliger restituit: »pro m., Alli, r. o.«[1]). Contra eum autem Weberus (p. 113 sq.) librorum lectionem retinendam esse dixit. Nam in elegia a v. 41 usque ad v. 160 continuata de amico narrationem fieri neque eius allocutionem aptam esse. Hunc autem in modum Weberus codicum verba explicavit: »id munus tibi pro multis officiis, i. e. multorum officiorum meorum loco, tribuo«. Quod ut probabile faceret, exemplum carminis XXXVI attulit, ubi (v. 2) »pro« = »loco alcs.« esse opinabatur (p. 114). Aliorum autem sententiam: Catullum carmen »pro« = »in praemium« multorum officiorum ab Allio facile praestitorum dedisse, ideo non admittendam esse putabat, quod in v. 41 minime multa (cf. »qua . . in re«) Allius poëtae tribuisse diceretur, cum vocabulum »quantis« (v. 42) nequaquam idem valeret ac »quot«. Sed nonnulla obstant Weberi opinionibus. Omnibus enim locis libri Catulliani, ubi remunerationis cogitatio intercurrit, »pro« = »in praemium alcs. rei« usurpatur, quod ex ipso se offert. Vide c. XXXI/11 »hoc est . . pro laboribus tantis« LXIV/152: »pro quo . . feris dabor alitibusque« ib. 157 »talia qui reddis pro dulci praemia vita« LXXVI/26 »reddite mi hoc pro pietate mea« LXVI/37 »quis ego pro factis coelesti reddita coetu«. Unus tantum occurrit versus, in quo »pro« = »loco alcs. rei« adhibetur, neque eius lectio certa est (c. LVI/7), quia nonnulli commentatores ibi non »pro telo«, sed adverbium »protelo« scribendum esse censent (cf. Ries. pg. 105!). Alter autem locus, ille, quo nisus est Weberus (c. XXXVI 1-2), mihi quidem iniuria in illum sensum deduci videtur. In lepidissimo enim illo poëmate Catullus Lesbiam dicit vovisse se »electissima pessimi poëtae scripta tardipedi deo daturam«, si amatus sibi reconciliaretur. Discordia igitur sublata poëta imperat, ut mala Volusii carmina illud votum »pro sua puella« solvant. Num cogitari potest illos miseros annales »pro« = »loco« puellae (cf. Weberum pg. 114) votum solvere debuisse, i. e. eius

[1]) Jam Casaubonus hic nomen ponendum esse censuit (in ann msscr. ad Mur. ed.)

loco in flammam insilire? Ridiculum plane id mihi esse videtur. Sed poëta in verbis »pro mea puella« praepositionem dativi vice fungentem adhibuit, ut indicaret illam voti solutionem in commodum inque gratiam puellae fieri. Similiter autem Catullus voculam »pro« posuit in cc. XXXVII/13; LXIV/81; LXVI/33. Weberi opinioni deinde etiam verba coniuncta »multis aliis« non bene convenire videntur, quia (cf. Magnum i. Berl. ph. W. X p. 1561 sq.) supervacanea legitur vox »aliis«. Quod denique »multa« fuisse officia Alli negat Weberus, non intellego, cur ille amicus in una re (v. 41) non multa beneficia offerre potuerit, etsi vox »quantis« in v. 42 ad magnitudinem officiorum solam pertinet. Quin etiam grato Catulli animo responderit, ea quae praestiterat amicus, laudando multiplicare. — Itaque mihi displicet Weberi sententia, quippe quae et sincerae verborum notioni contraria sit et inanem vocem pro gravi submittat. Nam cum epilogus (vv. 149—160), ut infra (cap. VI) demonstrabo, propria carminis pars iudicanda sit, cuius initio amici nomen iterari opus est, cum Scaligero in v. 150 legendum esse puto: »pro multis, Alli, redditur officiis«.

Nominum porro formas constituere conaturis nobis primum recordandum est in vv. 11 et 30 codicibus nomina simillima »Manli, Mali, Malli« exhiberi. Quae omnia vera nomina gentilicia fuisse[1]) inscriptionibus Romanis discimus. Ea autem communi origine orta in distinguendas eiusdem gentis familias discessisse, ut opinatur Baehrensius (in comm. ad v. 11), mihi non probatur. — Illud »Mali« nomen confestim reiciendum esse censeo, quamquam in optimis codicibus invenitur (OGM; CHLa¹ [2]) etc.), quia nulla exstat inscriptio reipublicae Romanae liberae, quae praebeat nomen gentile »Mali«. Si quis autem huic dicto obicit in C. J. L. I/185 legi »L. Malio C. f. . .«, ei respondeo in illo monumento Venusiae reperto, quod aetate fortasse senatusconsulti de Bacchanalibus insculptum est, simplices literas pro geminatis scriptas esse, ut re vera nomen »Malli« proponendum sit. Quod commendatur vocibus »ese« et »Ravelius« in eadem inscriptione occurrentibus. Nullum ergo certum argumentum praesto est neque librorum neque lapidum nomen »Mali« iam ante Caesarum tempora in usu fuisse. Haud raro autem posteriora monumenta hanc formam ostendunt (praecipue libertorum Graecorum: num »Malius« = Μήλιος?) velut C. J. L. II/4970 »P. Malius Fortunatus«; VIII/3877 »Malia Fortunata«; VIII/6516 »Malia Urbana«, X/8056, 535 »Malius Fortunatus«; XIV/1289 (Ostia) »T. Malius Aphrodisius«; 1291 »T. Malius Symphorus« et »T. Malius Melandros«; 1290 (Ostia) »T. Malius Hermes«; XIV/246/251 etc. etc. Quia ergo domum »Maliorum« reipublicae liberae aetate exstitisse non credibile habeo, formas »Mallius« et »Manlius« solas potius respiciendas esse arbitror. Utrumque autem nomen in notis civitatis Romanae nominibus numerandum esse scimus. Et Manliorum quidem nomen clarissimum exemplis demonstrare inutile est; Malliorum autem gentem iam Catulli aetate floruisse inscriptione Puteolis reperta C. J. L. I/577, 1, 3 ». . . Cn. Mallius cos.« (a° 649 a. u. c., cf. J. L. C. X/1781, 3.) satis firmatur. Multi autem »Malli« per posteriora tempora indicantur, cf. C. J. L. V/6801 (Eporediae), 7660; XIV/1293 et 1093; X/7312 et 615 etc. — Sane negari non potest in manuscriptis libris Romanis »Mallium« et »Manlium« inter se saepius confundi, atque in ipsis Catulli codicibus multa nomina propria valde depravata esse. Sed si illius carminis, in quo propter Torquati cognomen certe Manli cuiusdam nomen legitur, cs. LXI, priores scripturas inspicimus, eas dissimiles esse corruptionibus, quales in carmine LXVIII (vv. 11 et 30) exstant, apparet. Illic scriptum est:

v. 16: »mallio« OGM
v. 222: »manlio« GM } pro »Manlio«,
(sive 215 Baehr.) »maulio« O

hic autem:

v. 11: »mali« OGM (in versu ipso) } pro . . .?
v. 30: »mali« OGM

E qua lectionum diversitate concludere liceat non idem nomen utrobique ab initio extitisse, sed in c. 65 »Manli«, in c. LXVIII^a (vv. 1—40) »Malli«. Nam quod pro geminanda litera »l« in vv. 11 et 30 simplex exarata est, non mireris, quia in codicibus a Veronensi illo[1]) prisco deductis sescenties evenit. (cf. Schulzium in proll. ed.² Baehr. p. XXXVI!). Praeterea in v. 11 praecipue error obvius erat rudium scriptorum, qui »incommoda măli« (= infelicitatis), etsi prosodiae lex obstabat, intellegerent. Eiusmodi perversionem autem re vera accidisse, docet literula »o« in cod. G (cf. Schwabii ed. pg. 79 app. crit.) vetere manu ultimae vocis »mali« (in v. 11) vocali superscripta. Ea enim vocativus indicatur, caute scilicet, ne quis illud verbum genetivum »măli« esse opinetur! Censeo ergo,

[1]) Errant H. Magnus (in Fleck J.-B. 1875 p. 849 sq.) et L. Fennerus (»Quaest. Catull.« pr. Barm. 1896 p. 30), qui omnino »Mali« nomen apud Romanos extitisse negant.

[2]) Colbertinus (Paris); Hamburgensis; cod. bibl Laur. (Florent.) I.

[1]) de quo cf. inprimis Baehrensii ed.² prol. pg. LXIII et Schwabii ed. p. IV!

amicum in vv. 11/30 »Mallium« nominatum esse, quod nomen praebent et titulus poëmatis recentiore manu (g) in cod. G additus[1]) et minores libri B, L, V (in v. 11), D (in vv. 11/30 e correctione, quae haud scio an eodem fonte quo titulus in G profecta sit) et ed. Calpurnii 1481. Aldina I a° 1502. Sed confiteor argumenta, quibus commotus illud praeferam, non ea esse, ut altera opinio eorum (— a Mureto 1554 —), qui »Manli« nomen legunt, prorsus excludatur. Ipsis quidem libris msscr. haec sententia minime adiuvatur. Perpauci enim codices, qui clare »manli« praebent in vv. 11 et 30 (D m. pr ; h), nullius fidei sunt. Longe veri similius etiam est in v. 30, quem praecipue respicere debemus, cum erroribus minus pateat quam v. 11, pro »Ma(l)li« ignoti nomine celeberrimum »Manli« interpolatum esse, quam vocem »Manli« in »mali« depravatam esse secus atque in c. LXI.

Fac autem me concedere — quod minime lubet — nomen »Manli« ab initio in carmine LXVIII (vv. 11/30) fuisse, tamen eundem »Manlium« in c. LXI celebratum esse pro incerto ponam. Nam quod Schwabius (in »Q. C.« p. 342—4) et A. Weisius (pr. 1863 pg. 13) protulerunt, ut hanc opinionem priscis commentatoribus iam acceptam probabilem redderent: Lucium Manlium Torquatum quendam apud Ciceronem (de fin. I/7/25; Brut. 76/265) literatissimum hominem describi, quod cum vv. 7/8 carminis LXVIII optime congrueret, non flocci faciendum est, quia Catulli temporibus quivis »de meliore nota« litteris imbutus erat, ut his studiis ipsis quemquam certe cognoscere non liceat[2]); praeterea haud scio an nemo evincere possit etiam Manlium, ad quem c. LXI pertinet, bonarum artium studiosum fuisse aeque ac Lucium illum (cf. Schulzium in »Ztsch. f. d. Gymn. W.« 1880 pg. 363). Quid quod Schwabius aliique de »Manlio Torquato« e cc. 66 et 68 molles fabellas composuerunt (cf. Palmerum in »Hermathena« 1879 VI p. 346 sq.) atque his tam bellis erroribus usque ad hunc diem integrae explicationi obtrectaverunt? Occurrit enim illa falsa de »Manlio Torquato« opinio etiam apud Ribbeckium (»Cat.« p. 35; »G. d. r. D.« I² p. 332), P. Weidenbachium (in diss. p. 33 sq.), Munronem (»Crit. and eluc.« p. 166 sqq.)

Quod deinde ad nomen in vv. 41/50/66/150 indagandum pertinet, omnino Scaligeri, qui praeter versum 66 (»Manli«) ubique »Alli« nomen legit, emendationes comprobo, sed ita,

[1]) cf. Schwab. ed. p. III et pg IV annot.; Baehrens. ed.² p. XXII, ubi Schulzius demonstrat illos titulos non e cod. V ipso, qualis in G et O exaratus est, sumptos esse, sed ex alio libro, fortasse ex apographo codicis Veronensis a viro docto correcti.

[2]) praesertim cum Manlia gens tum amplissima fuisse tradatur. (cf. indices ad Ciceronis opera!)

ut in v. 66 quoque »Alli« nomen restituendum esse censeam. Habet enim optimus liber O et in v. 50 et in 66 (in verbis ipsis) integrum nomen »Alli«, quod et in v. 41 (»QVĀFALLIVS«) et in v. 150 levi mutatione refici potest. Codice G autem praebetur in v. 50 »ali« (— quod e voce »alli« libri Veronensis ortum esse lectione codicis M »alii« fortasse discere possumus —); reliquis locis hic liber cum cod. O convenit. Sed in V. 66 omnes codices praeter O clare exhibent »manlius«, in uno autem illo Oxoniensi legitur:

» . . allius auxilium l manllius«

Hoc m. pr. in margine annotatum simul cum versu ipso e libro Veronensi effluxisse iam Baehrensius in ed.¹ proll. XXXVII sq. censuit. Ut autem id verum esse persuasum habeam, variis causis commoveor. Mira enim scriptura »manllius« explicandae quaestionis ratio proponitur. In libro Veronensi ergo hoc scriptum fuisse videtur:

man
» allius «
. . . .

(cf. B. Schmidt. in ed. ann. crit. ad v. 150; L. Fennerum l. c. p. 31). Unde codex G aliique solam interpolationem, quippe quae maxime probabilis videretur, exaraverunt, cum scriptor ineruditus[1]) idemque diligentissimus libri O accurate et pristinam lectionem reciperet et correcturam repertam in marginem adscriberet errando syllabam »man« cum »llius« coniungens. Neque minus insignis corruptela versus 54 mihi esse videtur, ubi pro voce »Malia« in codicibus partim »maulia« (OG), partim »manlia« legitur (MD). In ipso Veronensi autem ibidem »manlia« scriptum esse concludas, cum literae »n« et »u« in apographis illius libri manuscripti saepissime confundantur. Quodsi considero, quae in vv. 66 et 45 invenimus, hunc ad finem pervenio: aliquis vir doctus in libro Veronensi verum amici nomen, cui c. LXVIII[2]) dedicatum esse videbatur, restituere conatus est. Quare in vocibus nonnullis, quas primo optutu nominis corruptiones exhibere existimavit, notissimum »manli« nomen (e carmine LXI translatum?) corrigendo efficere studebat, cum aut emendationem superscriberet (ut in v. 66) aut literam »n« admisceret. Hoc autem modo in v. 54 vocem »malia« interpolavit, quam nomen continere perperam opinatus est. Atque simili negligentia ortum esse videtur, quod ille corrector alios versus, in quibus nomen exstat, socors praeteriit.

[1]) cf. Baehr. ed.² p. XXXVII!

[2]) quod iam in Veronensi unum lectum esse sequitur.

Ceterum fortasse et lectio, quam praebent codd. M et R in v. 11:
al mauli
» mali «
ad similem codicis V correctionem referenda est. Nam illud »mauli«, quod per se ipsum sensu caret, e coniectura lectoris cuiusdam profectum esse nemo contendat. Utrum autem re vera emendatio iam in cod. V exstans reddatur an variatio aliunde adscripta, diiudicare difficile est, quia quae inter codicem Veronensem et libros M et R intercedat necessitudo, adhuc in dubio relinquitur.[1] —

Sed redeamus ad priora! Priscam et veram versus 66 lectionem »Allius« esse arbitror. Quod nomen a versu 41 usque ad v. 150, i. e. in carmine LXVIII^b, constituendum esse censeo.

Num autem »Alli« nomen obscurum probandum esset, dubitabat Westphalius (p. 100), cum vv. 49/50, quos ad cereas atrii imagines referebat, illum Catulli amicum nobili genere natum esse indicari putaret. At aranearum, ut robiginis (v. 151) mentione in universum oblivionem[2], qua Alli nomen, nisi a Catullo memoriae traditum esset, obrueretur, demonstrari equidem existimo. Sin autem propter imaginem a poëta adhibitam inscriptum vel insculptum amici nomen illis versibus respici mavis, quid impedit, ne ad sepulcri titulum animum inducas aut ad ipsum Catullianorum carminum libellum, qui simul cum nomine Alli celebrato oblivionis situ occupari potuit? Itaque illa Westphalii sententia ad irritum cadit. Immo vero, si amici gens nobilissima et clarissima fuisset, velut Manliorum, nonne insolentia essent Catulli verba: se nomen gentis amicae (»vestrum« v. 151) carmine elegiaco oblivioni temporum erepturum esse — nomen gentis, quae aliis rebus atque amatoriis iam pridem celebris facta erat? Optime igitur poëtae versus ad »Alli« nomen accommodati esse videntur, quod neque clarum neque

---

[1]) Schulzius in »Hermes« XXIII p. 567 disserit de duplicibus codicis M lectionibus, quas iam in V extitisse voluit: »Die meisten Dittographieen sind redliche Versuche des Schreibers von V, ein schweres Wort zu enträtseln.« (cf. et Baehrens. ed.[2] proll. LX sq.). Sed Magnus (in »Burs. Jahresber.« 1899 CI/1 p. 93—96 inpr. et ibid. tom. C p. 198) demonstravit codicem M minime — quod proposuerat Schulzius — cum O et G conferendum esse, sed inter ς (codd. min.) numerandum. Multas autem vel plurimas cod. M scripturas duplicatas recentiore manu ad versus libri adiectas esse ideoque haudquaquam tam graves videri, quam Schulzius finxisset. — De cod. R cf. pg. 4 ann. 3! Si vere liber R optimis manuscriptis inserendus est, etiam M pluris, quam putat Magnus, sit, cum artam habeat cognationem cum codice R (cf. Haleium in »Hermes« XXXIV/1 p. 141!).

[2]) cf. Hom. Od. XVI/34 sq.; Theocr. XVI/96/7; Prop. III/6/33.

prorsus sordidum esset. Conferas inscriptiones reipublicae liberae: C. J. L. I/373 »C. Allius Bala« (in nummis!) I/574 »S. Allius Q. l. Sextus« I/258 »P. Allius Paetus« (cf. p. 436 eiusdem voluminis!). Ad hoc vero nomen Th. Mommsenus in C. J. L. I p. 446 annotat: »Paeti illi »Alli« videntur fuisse (neque »Aelii«) et postea demum exstincta familia, ut superstitum Aeliorum honores augerentur, Paetorum imagines ab iis acceptae esse nomine immutato«. Saepissime enim confunduntur »Aelii« cum »Alliis«: hoc nomen exhibent tabulae Capitolinae, illud rerum scriptores. Ceterum Alliorum gentem multiplicem fuisse monumentis apparet; inveniuntur et in Gallia Cisalpina (C. J. L. V/569, 6802, 2893. 5940, 1442, 2497) et in Gallia Narbonensi (XII/81, 1115, 1114, 3398, 3196, 3399) et in Latio (XIV/560, 246, 1116) alibique.

Duo igitur nomina gentilicia, si libros mss. sequimur, Catulli amicum habuisse intellegimus: et »Malli« (vv. 11, 30), et »Alli« (v. 41, 50, 66, 150). Quod in disceptanda carminis unitate negligentia praeterire non licet, ut fecerunt Magnus (i. Fl. J.-B. 1875 p. 850 et J.-Ber. 1887/II p. 150 sqq.) et Hoerschelmannus (p. 24), cum leviter e corruptis codicum lectionibus ne minimum quidem investigari posse dicerent[1]). Nam eis, qui negant duo carmina secernenda esse, nil reliquum est nisi aut Scaligeri Ellisiique (vde. pg. 6!) incredibilibus artificiis assentiri aut coniectura contra codicum auctoritatem praenomen fingere ad nomen gentile idoneum. Hoc autem adversus ipsam Catulli consuetudinem fieri Schwabius (»Q. C.« p. 20 sq.) demonstravit, cum diceret Catullum in universum a praenominibus appellandis abstinuisse. Diligentius deinde id confirmavit C. P. Schulzius (in »Zeitsch. f. d. G.-W.« 1880 p. 353 sqq.), qui statuit Catullum (p. 354) per allocutionem et nomen gentilicium et cognomen saepe adhibere, praenomen cum gentilicio autem coniunctum semel ironice proferre (c. XLVIII/2: »Marce Tulli«; in c. X/31 »Cinna . . Gaius« poeta compellatione non utitur); sed nusquam eum quemquam solo praenomine allocutum esse, aut (p. 362) in uno carmine modo praenomine modo gentilicio, ut e Lachmanni aliorumque emendationibus in c. LXVIII fieret[2]). Quae contra Schulzium disseruerunt O. Harneckerus (p. 1—3) et Magnus (in J.-Ber. 1887/II p. 150 sqq. et Skutschius (in »Rh. Mus.« 1892 p. 151), hanc observationem non refellunt. Nam illam opinionem: Catullum (cf. pg. 5!) consulto in epistolari carminis parte (vv. 1—40) praenomen, in sollemni

---

[1]) cf. Cap. VI!

[2]) neque hoc apud Tibullum, Propertium, Horatium inveniri.

laudatione (vv. 41—160) gentile adhibuisse, minimi esse iam supra explicavi, quia hac ratione etiam in epilogo familiari (vv. 149—160) praenomen (»Mani«) legendum esse concluderes. Neque id, quod nonnullis placebat declarandae nominum diversitatis causa, probandum esse puto: amicum »Manlium« in altera carminis parte (vv. 41—160) falso nomine »Alli« appellatum esse, quia ei detrimento esse potuit, publice ut lenocinii confectorem praedicari. Quam sententiam animum induxerunt Palmerus (in »Hermath.« VI p. 346) et Skutschius (l. c. annot.), qui illud »ψευδώνυμον« secundum Bentlei legem fictum esse videri monuit. Sed tribus de causis illam opinionem repudio: primum mirum esse videtur Catullum, ut nomen gentilicium Romanum occultaret, aliud nomen gentilicium Romanum scripsisse; deinde non intellego, quomodo poëta potuerit dicere (vv. 49—50 et 151) se amici nomen ab araneis robigineque defensurum esse, si in hoc ipso poëmate, quo illud efficere volebat, fictam amici appellationem usurpavit. Tertium denique arbitror Allio haudquaquam propter carminis LXVIII argumenta incommoda accidere potuisse, quod nomen Alliorum, ut demonstravi (i. pg. 13), frequens erat, atque certum praenomen in carmine non indicabatur. Accedit, quod illa Palmeri etc. sententia »unum« c. LXVIII in duas partes dissecatur. Nam vv. 1—40, qui verum continere nomen dicuntur, certe non publicandos fuisse credas, vv. 41—160 autem propter nomen »subditum« vulgandos fuisse manifestum est. Sed ex eis, quae in fine huius dissertationis explicabo (vd. Cap. VI!), elucebit ad v. 150 (i. e. ad vv. 149—160) nomen fictum minime aptum esse. —

II. De Malli casu adverso.

Cum ipsum carminis initium legimus, Catulli amicum aliqua calamitate afflictum esse intellegimus. Quia autem ea nusquam lucide pronuntiata est, ab antiquis temporibus virorum doctorum disputationibus crebro versabatur.

I. Atque diu commentatores, cum in vv. 1—4, qui praecipue ad illum casum pertinent, certum quidquam invenire non possent, e versuum 5/6 verbis »sancta Venus« et »Desertum in lecto caelibe« se verum indagaturos esse sperabant. Qua re effectum est, ut Malli dolorem ad amoris casus adversos referrent. Sed pauci eorum, qui hanc sectabantur rationem, in illo invento acquiescebant (ut Hauptius; cf. Belger. p. 247: »Missgeschick, das als ein Liebesunglück deutlich bezeichnet wird«; M. Schmidtius in Fl. J.-B. 1880 p. 782; Schanzius in »R. L. G.« I p. 150); plerique malas Malli condiciones penitus definire studebant. Qui autem hoc susceperant, in diversas partes tracti sunt:

1) Apud Parthenii (ed. 1486) quidem sectatores usque ad Thomasium (in comm. ad v. 5) haec reperitur de casu Malli sententia: Catulli amicum uxoris mortem luxisse. Hi enim vocem »caelibis« interpretati sunt in sensum »uxore privati«. Cui opinioni favebat, quod multi illorum commentatorum[1]) c. LXVIII ad eundem Manlium Torquatum missum esse arbitrabantur, quem sponsum Catullus in epithalamio LXI celebraverat (cf. inpr. Schwabium »Q. C.« p. 342 sqq. et Palmerum in »Hermath.« VI p 346/sq.; etiam hs. diss. p. 10). Manlium ergo Viniae Aurunculeiae brevi ante in matrimonium ductae obitum questum esse! Hanc autem rerum coniunctionem nullo argumento fundatam ea ipsa ratione, qua nomen amici in codicibus traditum est, dissuaderi supra disserui (cf. pg. 9!). Quis etiam poterit probare illum »Manlium Torquatum« cs. LXI tam familiarem Catullo fuisse quam amicum carminis LXVIII? Nam illud poëma opus mandatum fuisse non incredibile est. Neque, si pro certo iudicandum esset hoc quoque c. LXVIII ad Manlium Torquatum missum esse, eo ipso demonstraretur id quod dolebat amicus, uxoris decessum fuisse, quia cogitari possit Catullum c. LXVIII scripsisse, priusquam Manlius coniugium subiit.

Erant autem, qui illa dicta versuum 5 et 6 non modo uxoris mortem, sed etiam amicam amissam indicare posse opinarentur. Velut Ellisius in comm. p. 320: »Mallius . . had, whilst suffering from the grief caused by the loss of his own wife or mistress, written to Catullus . . .«. — Et Birtius (l. c. p. 4 sq.) animum induxit Mallium puella sua aut morte aut alia separatione sempiterna orbatum esse.

2) Sed eis, qui diremptionem tam gravem proposuerunt, altera factio opponebat causas haud spernendas. Qui partim (praecipue Kiesslingius p. 13/14 et Magnus in »Fleck J.-B.« 1877 p. 416), cum carmen LXVIII individuum esse censerent, illam opinionem cum v. 155 »Sitis felices et tu simul et tua vita«[2]) minime convenire demonstraverunt, quia Catullus amicum uxoris vel amatae decessum flentem tam simpliciter ominibus optimis non posset prosequi, — partim suo iure disseruerunt fieri non

[1]) inde a Parthenio.

[2]) i. e. »tu et amata tua« (vel uxor vel puella). Ceterum ipse hoc Kiesslingi argumentum non possum comprobare, quia eo unitatem cs. LXVIII dubiam esse neglegitur.

potuisse, ut homo coniugis morte contristatus ab amico »munera Veneris«, qualiacunque sunt, peteret et lascivis verbis velut in vv. 27—30 uteretur[1]). Incredibile quoque esse videtur Catullum sodalis dolorem, si vere tam gravi calamitate motus erat, tantuli facere potuisse, praesertim cum Calvo uxoris obitum lugenti aliter responderet in c. XCVI (cf. Kiessling. p. 14; Weberum p. 102; Monsium »Zu Catull« pr. Schweidnitz. 1895 pg. 11).

Itaque Jos. Scaliger (ed. 1577), aliique voluerunt[2]) Malli calamitatem in eo sitam fuisse, quod in tempus ab amica disiunctus esset sive rixa sive perfidia sive alia causa.[3]) Hoc autem modo illi, qui unitatem poëmatis tutabantur, consensum quendam effici putabant inter vv. 5/6 et 155. Nam si Malli et amatae eius seiunctio fugax erat, Catullus in bonum omen illas gratulationes pronuntiavisse videbatur (cf. Kiessling. p. 14)[4]). Voce »caelibis« autem, qui huic adstipulabantur sententiae, hominem in universum amore carentem significari censebant et Mallium a puella »desertum« esse supponebant.

Sed Scaligeri opinio non indubitata erat. Jam enim Schwabius (»Q. C.« pg. 342) cognovit versuum 1—4 verba graviora esse quam quae ad levem amantium discordiam spectarent. Atque poëta ipse, cum vv. 1—40 scripsit, tam tristi animo erat, ut ei alienum fuisse constet ridiculam amici eiusque amatae

---

[1]) Hanc ob causam etiam reiciendum est, quod Riesius (p. 220) inter alia proponit: Mallium gravem puellae suae morbum maerere.

[2]) Doeringius (ed. 1834), quem Weisius (in pr. 1869 p. 8) in Scaligeri asseclis numerat, mihi distinguere videtur: 1) sortem »quandam« Manli tristissimam (p. 138; cf. p. 139 »Manlius ob tristem quendam casum naufragus dicitur«) et 2) perfidiam puellae, quae (vv. 5/6) Manlium deseruit. Duo igitur incommoda Catulli amicum simul perpessum esse statuerit.

[3]) velut Malli puellam propter iter afuisse (Riesius ad v. 4 p. 220).

[4]) Hoc loco etiam tractare liceat, quamquam a ceteris aliquanto abhorret, quod B. Schmidtius (in ed. proll. ad v. 157) de »Alli« calamitate protulit. Is enim unitatem carminis observando proficiscitur a versu illo difficillimo 157/8, quem ita emendavit:

»et domus ipsa, in qua lusimus, et domina,
et qui, quam primo nobis terram dedit, aufert — A quo . . etc.«

Hisce verbis vult indicari dominae illius, apud quam Catullus et Allius sua quisque amica frui (v. 69: »communes«) solebant, maritum Allio interdixisse, ne in futurum puellam suam in illa domo conveniret. Eam autem ob rem Allium tristitia imbutum esse (v. 1—10). — Sed hanc sententiam debilissimam esse apparet, quippe quae et unitate cs. LXVIII pendeat et coniectura dubia nitatur. Cur etiam Catullus illum maritum ingratum felicem esse cupiverit? Quod ita declarare studuit Schmidtius, ut diceret Catullum scivisse »dominae coniugem necessitate coactum esse, ne porro commeatum amantium permitteret«. Num levis opinio altera opinione levi stabilitur?

rixam per ludum in maius extollere.[1]) Quod fecisset, si de talibus rebus vocibus velut »casu oppressus acerbo«, »spumantibus undis,« »mortis limine« usus esset (cf. Magnum in »Fleck. J.-B« 1877 p. 415/6; Harneckerum p. 3). Quod autem Mallium scortillum paulum abalienatum ita luxisse ponitur, ut »lacrimis« (v. 2) epistolam componeret, dubito, utrum id magis mirum an magis putidum appellem.

His ergo explanatis intellegitur neque illam de morte uxoris sententiam neque hoc de levi amoris incommodo excogitatum cum veris carminis condicionibus concinere. In universum enim errare, qui e vv. 1—6 causam illius doloris investigare studerent, primus clare demonstravit Magnus in »Fleck. J.-B.« 1877 p. 415/6. Qui constituit versus 5/6 cum sequentibus vv. 7/8 et grammatica ratione (»neque — neque«) et argumentis (— cf. v. 10, in quo summam versuum 5—8 poeta vocibus »Veneris« et »Musarum« complecti videtur —) arte coniunctos esse. Minime igitur licere in altero versuum pare ipsam amici calamitatem, in altero miseras condiciones inde ortas depingi putare. Sed Catullum in illis quattuor versibus bipartito commemorare, quo in statu Malli animus esset propter illam (ignotam) calamitatem[2]). Cui obiecit Birtius (p. 4) poëtam in carmine LXVIIIa, cum suae ipsius tristitiae causam, fratris mortem, explicaret, etiam, qua re Malli dolor motus esset, indicare debuisse. Itaque verba »quem neque sancta Venus« etc. sibi originem illius maeroris exhibere videri, »quoniam neque sensus repugnaret neque linguae lex«. At neque sermonis praeceptis censeo respondere pariter coniuncta et conserta divellere, neque intellectum habeo, cur Catullo in litteris amico missis eius ipsius infortunium definiendum fuerit.[3]) Pietatis vero erat, quod familiari calamitatem non in memoriam clare adducebat, sed vagis verbis imaginibusque occultare studebat. Suum quidem dolorem cum Mallio ignaro communicare debuit, quia eo inprimis, quae a se petita erant, excusaturus fuit.

---

[1]) Haec contra Monsium p. 12: »nachdem er die verzweifelten Worte [des Freundes], vielleicht noch scherzhaft gesteigert, wiederholt . .«

[2]) Harneckerus pg. 4: »Beide Glieder (vv. 5/6 et 7/8) sind vollkommen parallele Folgen aus dem einen, unbekannten Unglücke, gleichsam Symptome des Leidens.« cf. et Hoerschelm. p. 4/5; Magnum in »Berl. ph. W.« 1890·p. 374 et in »Burs. J.-Ber.« 1899 (CI) p. 131 sq.

[3]) cf. Baehrensium (ad vv. 5/6): »cum . . . scribat ad amicum nimis eheu gnarum, potest sane poeta magis in transcursu . . breviter Mali calamitatem attingere«.

II. Mihi quidem constat versus 5—6 ad casum Malli explorandum conferendos non esse. Quare praeter totius poëmatis argumenta solos versus 1—4 respicere possumus, si illi causae lucem afferre conamur. Priusquam autem ipsi ad hanc rem accedimus, breviter contemplabimur, quae illi, qui Magni sententiam secuti sunt, invenerint.

Harneckerus quidem (in pr. 1881 p. 5—7) Mallium »civili« calamitate afflictum esse conclusit et qua eius bonae famae obtrectari posset, velut repulsa in magistratu petendo accepta (»ein kompromittierendes Unglück« p. 5). Cum enim totum c. LXVIII a Catullo M'. Allio in solamen missum esse vellet, vv. 48—50 et 151—154, quibus poëta se Alli nomen ab araneis robigineque servaturum esse promittit, maximi putabat momenti. Nam eis opinabatur Catullum pronuntiare se Alli eiusque generis (»vestrum« v. 151) nomen ulla ignominia maculari non modo non passurum esse, sed etiam illud posteritatis memoriae traditurum. Inde autem sequi, quid Mallius doleret.[1] Sed si consideramus, quomodo poëta in c. LXVIII amicum ab ignominia defendere potuerit, Harneckeri sententiam[2] sustineri non posse videmus. Quid enim ad servandum aut restituendum civis honorem elegia amatoria, qua amicus partes lenonis agens celebratur? (cf. Hoersch. p. 6). Quis porro »munera Veneris et Musarum« ut levamina petat, si ob periculum bonae famae imminens tristis est? Quod autem Catullus Alli nomen immortale se redditurum esse dicit, solum gratiae documentum est, quale saepius apud poëtas elegiacos reperitur. Ceterum robigo araneaeque oblivionis, non malae famae imagines usurpari solent.

Ad diversum inquisitionis eventum pervenit Schoellius (in »Fleck J.-B.« 1880 p. 472/3), qui inprimis verba »casu acerbo« et »mortis limine« animadvertendo Mallium gravi morbo implicatum esse existimavit. At quam ineptum sit, hominem fere moribundum (— ipse Sch. dicit: »Der Freund ist krank, totkrank« p. 472 —) »munera Veneris et Musarum« petentem facere, quis est quin confestim videat? Magis dubia etiam haec sententia videtur esse, si meminimus Schoellium totum c. LXVIII ad (M)allium »aegrum« scriptum esse proponere. Neque enim fieri potuit, ut Catullus simpliciter ei scriberet: »sitis felices et

[1]) Respiciendum etiam esse Harneckerus (p. 6) dicit, quod Catullus in v. 153 sq. Themidis, iustitiae deae, mentionem fecit. Sed doctus poëta eam induxit, ut aureum saeculum significaret, cuius felicitatem amico tribui vellet. Nam Themin beatis illis temporibus piorum fautricem fuisse docet Ovidius in Met. I/150 (= Astraea). Cf. Arat. Phaen. v. 110 sqq.

[2]) ad quam Magnus quoque inclinavit in »J.-Ber. f. Altert.-W.« 1887/II p. 150 sq. et p. 248 sq.

tu simul et tua vita!« (cf. Harn. p. 4; Hoersch. p. 6). Praeterea illud »a mortis limine« (v. 4) ad comparationem solam pertinet. Commode enim naufragus, qui undis defatigatus in litus eiectus est, ut iuxta aestum letiferum iaceat, »in mortis limine« versari dicitur. Ipsam autem amici vitam in discrimine fuisse inde haudquaquam concludendum est. Accedit, quod Catulli verba magis ad aliquod animi damnum quam ad corporis dolores spectare videntur.[1]) Nam amicus fingitur per lacrimas scribens, maesto animo noctes pervigilans, remedia ad animi recreationem rogans. His omnibus igitur Schoelli opinionem pravam esse demonstratur.

Sin autem tot viros doctos in errores raptos esse consideramus, paulum abest, quin omnino nos certum quidquam investigare posse desperemus ad exemplum Hoerschelmanni (p. 6)[2]), Magni (»Fleck. J.-B.« 1877 p. 416), Riesii (p. 220 ad v. 4), Weberi (p. 105). Unum quidem scimus: Malli dolorem casu quodam fatali (»fortuna« v. 1) excitatum esse (Magnus in »Fleck. J.-B.« 1875 p. 851 et 1877 p. 416). Neque hoc infortunium grave fuisse neget quisquam (cf. v. 1 »casu acerbo«[3]); v. 2 »lacrimis«; naufragii descriptionem tristem vv. 3/4!). Nam quod Catullus paucis versibus amici calamitatem attigit, huic opinioni non repugnat. Ipse enim tristissimus erat poëta, ut propriae fortunae sensu alienae infelicitatis miseratio reprimeretur. Censeo autem Catulli de amici casu silentium cum huius casus condicionibus ipsis cohaerere. Nam si Malli calamitatem immutabilem fuisse ponis, intellegis, cur poëta tam exigua verba de ea fecerit. Si enim de casu desperato longe lateque locutus esset, nil effecisset, nisi ut vulnera amici denuo rescinderet. Quia autem eis, quae adhuc invenimus, quale Malli infortunium fuerit, nondum satis intellegitur, illud exemplum, quo Catullus ad describendam amici miseriam usus est, nos inspicere opus est. Atque ex ipsa naufragii imagine nihil concludere possumus, quia ea ad varias fortunae adversae species depingendas adhibetur. Velut Cicero saepius de fortunarum eversione loquens illo exemplo utitur (pro Sulla 14: »ut aliquis patrimonii naufragus«; Cat. I/12: »naufragos«, II/11: »naufragorum eiectam ac debilitatam manum« etc.), Ovidius de exilio suo (cf. Trist. I/5/36 et V/9/17); similiter amorum pericula describuntur (cf. Ov.

[1]) cf. Hoerschelm. p. 6.

[2]) cf. Hoerschelm. p. 6: »Wir müssen es offen bekennen, wir kennen das Unglück des Freundes nicht. Wenn es Catull nicht beliebt hat, es uns mitzuteilen, werden wir es, ohne die Toten zu befragen, nicht erraten.«

[3]) Eadem fere verba legis apud Vergilium in Aen. V/700 de navium incendio.

A. A. II/9; Apulei Met. II/11: »navigium Veneris«; vd. Birt. p. 5). Sed minime neglegendum est Catullum Malli fortunam adumbrantem eadem imagine uti, qua suas ipsius condiciones earumque causam demonstrat (v. 13 sqq.) In uno differentia intercedit. Poëta enim dicit se ipsum fluctibus mersari; qui autem undis obruitur, brevi ante naufragium passus est. Unde apparet Catulli fratrem non multo ante decessisse. Itaque poëta in vv. 1—40 altissima tristitia imbutus esse videtur. Nulli enim rei se dedere vult, ne consuetis et antea dulcibus quidem (v. 19, 23, 26)! Mallius contra fluctibus iam in oram eiectus est. Ipsum ergo doloris turbinem vehementissimum superaverat atque in eo erat, ut tantummodo amico egeret, qui debilitatum ad priorem vigoris statum redigeret (cf. Weber. p. 107). Itaque Malli animi demissionem haud ita recentem fuisse puto tum, cum Catullo scripsit. Vexabatur autem illis subitis doloribus, quibus homines casu inopinato perculsi etiam post primam infelicitatis consternationem torqueri solent. Haec inter imagines in vv. 1—4 et 13 prolatas interest dissimilitudo. Sed argumenta earum minime differunt. Quia autem non credo idem exemplum, praesertim cum intervallo octo tantum versuum iteretur, hic alium fortunae casum demonstrare atque illic, censeo Malli calamitatem simillimam fuisse Catulli ipsius aerumnae. Mallium igitur dico aeque ac Catullum funebrem casum questum esse, sive cognatus eius sive notus aliquis carusque mortem obierat. Hoc autem cum proposito omnes, quas supra constitui, condiciones optime congruunt. Amicus ergo aliquantum temporis post casum, cum animus tristitiam eluctari eniteretur, Catullo »epistolium« misisse videtur, ad quod poëta carmine LXVIII^a respondet.

III. De versibus 5/6 et 7/8.

Ex eis, quae superiore huius disputationis parte disceptavimus, patet versibus 5—8 referri, quantopere illo casu adverso Malli corpus animusque affecta sint. Subtiliter igitur distinguendum est inter ipsum grave infortunium amici (vv. 1—4) et inter eius incommoda ex illa calamitate nata. Quae enuntiato relativo (vv. 5—8) ad illud »naufragum . . . eiectum« annexo explicantur. Quominus autem hac sententia relativa causam, qua »naufragus« factus sit amicus, proponi putemus, indicativis praesentis »perpetitur« et »oblectant« impedimur, cum ratio causalis potius modo

coniunctivo exprimatur.[1] Simpliciter enim cogitatio, quae voce »naufragi eiecti« inducta erat, inde malarum rerum Malli narratione uberius explanatur (velut in c. LXIV/71 »a misera, assiduis quam luctibus externavit . .«). Illud autem enuntiatum relativum aeque bipartitum esse iam indicavi (p. 17). Cuius priorem partem nunc e verbis ipsis illustrare conabimur. Sunt versus:

I. »quem neque sancta Venus molli requiescere somno
desertum in lecto caelibe perpetitur«.

Venus ergo concedere (— hunc in sensum vox »perpetiundi« usurpata est in Ov. Met. III/622; Verg. Aen. XII/644; Plaut. Asin. 845, Ter. Eun. III/5/3 (v. 551) —) negatur, ut Mallius somno grato fruatur. Qua ratione autem id non permiserit, e vocibus »desertum in lecto caelibe« enucleandum est. De quibus multa recentiorum commentatorum rixa fuit. Nam vocem »deserti« duplici modo interpretari possumus: 1) ut vivum vigensque part. perf. pass. verbi »deserendi«, ita, ut cogitatione utique supplendum sit certum animans, a quo aliquis desertus est, 2) ut adiectivum solidum a verbo deductum[2]), cuius gradus comparativus et superlativus extat, et quo denotatur, quod solum, solitarium, vacuum est. Quam significationem non modo ad loca pertinere (cf. Cat. LXIV/133 »deserto . . . in litore«; ibid. v. 187: »omnia sunt deserta«), sed etiam ad homines resque humanas, exemplis perhibetur; cf. Caton. Orig. 44 ap. Fest. 286^b/29 »ecquis . . desertior?«; Cic. Pis. 23 »Sic iste in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris . . . reditus unquam fuerit desertior« Prop. II/8^b/29 (Luc. Muell.) »abrepta desertus coniuge Achilles« Ov. A. A. III/70: »Frigida deserta nocte iacebis anus«. Ipse vero Catullus ita illam vocem adhibet in c. LXVIII v. 29 et 50 et in c. LXVI/21. Quomodo autem hoc loco vox »deserti« percipienda sit, non possumus statuere nisi cognita vocis »caelibis« notione. Est autem caelebs 1) is, qui nunquam uxorem duxit. Haec vis saepissime in verbo inest apud scriptores Latinos, cf. Cic. Leg. III/3: »Censores . . caelibes esse prohibento«; Gell. V/11 »caelibem vitam vivere«; Quintil. V/10/26: »maritus an caelebs«; Hor. Carm. III/8/1: »caelebs quid agam calendis«; Hor. Ep. I/1/88: »Nil ail esse prius, melius nil caelibe vita«; Plaut. Cas. II/4/11: »Utrum nunc tu caelibem ted esse mavis

[1]) cf. LXII/21; ibid. 27; LXVII/30. Birtius quidem (v. 4) contendit »quem perpetitur« sqq. pro »quippe quem . . perpetiatur« e prisca linguae consuetudine scriptum esse. Cuius unum exemplum in ipso Catulli libro inveni: LXII/14. Sed hoc loco sententia causativa iam verbis »nimirum, qui« prompta est.

[2]) cf. Magnum in »Fleck. J.-B.« 1877 p. 416; Schoell. ibid. 1880 p. 472; Weber. p. 105/6.

liberum An maritum servom aetatem degere« etc. — Sed etiam is potest »caelebs« dici, 2) qui coniugem amisit. Hunc autem in sensum raro Latini illa voce utuntur. Cf. Plaut. Stich. IV/1/37 »Sed ille caelebs erat senex« (= »vedovo« Forcell.), Ov. Her. XIII/107 (— de Laodamia a marito[1]) relicta —): »Aucupor in lecto mendaces caelibe somnos«, Mart. IV/69/3 »Diceris hac factus caelebs quater esse lagena«. Nunquam autem voce »caelibis« eum designari, qui amata privatus est, optimo iure monuit Baehrensius (in comm. ad v. 5/6). Quare omnes, qui hac nitebantur opinione, fallaci fundamento confisi sunt[2]) (Kiesslingius etc.). Non magis autem licet illius vocis significationem ita dilatare, ut synonymum sit vocis »deserti«, ut fecerunt Vulpius (p. 388), Doeringius (ad v. 6: »coelibe = vacuo, derelicto«), Harneckerus p. 4 (»Einsam auf einsamem Lager«), Hoerschelmannus (p. 5 »lectus caelebs = sein Bett ist leer«[3]). Utcunque enim vox caelibis adhibetur, semper coniugii cogitatio intercurrit. Quodsi inspicimus vocum illarum »deserti« et »caelibis« coniunctionem, quae in hoc cs. LXVIII versu reperitur, quadrifariam eam explicari posse liquet, quia binas utriusque verbi notiones invenimus:

[a) Mallius in lecto caelibe (= viduo coniuge amissa) desertus est (sc. a coniuge)]

b) Mallius in lecto caelibe (= viduo coniuge amissa) est desertus (= solitarius).

c) Mallius in lecto caelibe (= in lecto innupti viri) desertus est (sc. ab amata).

d) Mallius in lecto caelibe (= in lecto innupti viri) est desertus (= solitarius).

Quorum quattuor casuum primum silentio praeterire licet, quia eo incredibili ratione bis idem: Mallium coniuge orbatum esse, pronuntiatur. Secundum autem propositum examinare debemus, quod similis coniunctio in ipsius Catulli

[1]) Birtius (p. 4), cum negaret »caelibem« = viduum (χῆρον) esse, hunc locum suae opinioni repugnantem argute ita vertit, ut diceret Laodamiae et Protesilai coniugium non verum conubium fuisse. De amata deserta igitur illam vocem scriptam esse. Sed ipsi Ovidio illud coniugium verum visum esse demonstratur eiusdem epistolae versu 25 (»socer«) et 95 »infelix, quae prima virum lugebit ademptum« etc. Atque vocem »caelibis« pro voce »vidui« (et vice versa) in usu fuisse Plauti Martialisque locis satis confirmatur. Cf. etiam Ovid. A. A. I/102: »Cum iuvit viduos (= caelibes, innuptos) rapta Sabina viros.« —

[2]) cf. Baehrens. comm. ad vv. 5/6, Weberum p. 105.

[3]) Schoellius in »Fl. J.-B.« 1880 p. 473 dicit: »lectus caelebs ist das Krankenlager« (!).

libro reperitur: c. LXVI/21: »An tu non orbum (marito sc.) luxti deserta (= solitaria) cubile«. Cf. Prop. II/8b/29 (L. M.) »abrepta desertus coniuge Achilleus« (= solitarius), et Stat. Silv. II/6/4: »deserti praerepta coniuge partem conclamare tori«. — Sed illae causae, quas in pg. 15/16 disserui, ut demonstrarem calamitatem Malli non in uxoris morte sitam esse potuisse, huic ipsi interpretationi verborum versuum 5/6 obstant, etiamsi uxoris amissionem non ipsum illum casum gravem (vv. 1—4) amici fuisse ponimus, sed praeter vel, quod cogitari potest, propter principale infortunium ingruisse. Praeterea duabus calamitatibus simul statuendis repugnat, quod vv. 5/6 versibus 7/8 prorsus respondent; quoniam enim his novus amici casus non indicatur, illis eiusmodi rem explicari non verisimile est. Ob id ipsum autem tertiam quoque interpretandi rationem repudio, quae Doeringio (cf. pg. 16 ann. 2) placuisse videtur. Concedo enim facile cogitatu esse Mallium propter illam tristissimam sortem a puella sua desertum esse. Sed aequabilitate versuum 5/6 et 7/8 perspecta commoveor, ut illam sententiam repellendam esse censeam. Itaque, quem quartum constitui casum, solum accipiendum esse arbitror, ut qui simplicissimus sit et singulis verbis optime conveniat. Mallius ergo innuptus erat, ut a fida coniuge solacium petere non posset atque is »desertus«. Quam vocem ad amores spectare manifestum est. Nam Mallio innupto cum puellis consuetudo esse potuit, in morem levium illius aetatis iuvenum. Sed cum amicus id temporis talibus gaudiis non usus sit, solitarium eum fuisse legimus. Libuit autem viris doctis inquirere, cur Mallius »desertus in lecto caelibe« esset. Cuius rei duae causae propositae sunt: aut 1) facultatem copiamque amorum illi defuisse, aut 2) illum voluptatum opportunitatem habuisse, sed propter aegri animi affectiones ab eis abhorruisse. Hoc defendit Harneckerus (p. 4), illud Hoerschelmannus (p. 5) Weberusque (p. 106). Recte autem priori causae opponitur Mallium, si ipse puellis carebat, Catullo obicere non potuisse, quod Veronae moraretur, in oppido severo libidinibusque inimico (vv. 27—30). Nam suo iure poëta hoc crimen in amicum, cui ipsi nulla amorum occasio erat, reiecisset. Itaque alteram opinionem magis probabilem esse puto. Potuit quidem Mallius amores sectari, sed taeduit eum voluptatum, cum animus illo casu adverso nimis percussus esset (cf. Ov. ex Pont. I/10/33: »Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas, Non solet in maestos illa venire toros.«). Cur autem, quaeso, apud amicum Mallius queritur sibi Venerem abalienatam esse, si ipsi amores fastidio sunt? Diligenter verba versuum 5/6 contemplantes eum intellegimus non id inprimis doluisse, quod Venus iniqua esset,

sed quod somnus se deficeret[1], quem amoris gaudiis non posset adducere. Ipsius enim animi taedio impediebatur, ne mollem somnum Veneris voluptatibus sibi pararet. Atque cum hoc animi fastidium molestum per se ipse superare nequiret, quia dolore graviter commotus debilior erat, quam qui se in vincendam morositatem colligeret, amico, quae pateretur, questus est.

II. Aggrediamur deinde ad posterioris distichi disputationem! Mallium somnum capere non potuisse audivimus, qui status etiam miserabilior factus est eo, quod insomnium amicus scripta delectantia legendo allevare non poterat (»minuentur atrae carmine curae« Hor. Carm. IV/11/35). Nam depingitur is, quem:

> »nec veterum dulci scriptorum carmine musae[2]
> oblectant, cum mens anxia pervigilat«.

In his quoque versibus nonnulla dubia sunt. Primum quid sibi volunt illi »veteres scriptores«? Hi quidem (cf. Benoist.-Thomas. comm. ad. v. 7.) ita priscos Romanorum poëtas velut Naevium, Ennium, Lucilium appellari dicebant —, illi (Vulpius p. 338; Schulzius in diss. p. 19 sqq.; Ellisius in comm. ad v. 7 p. 322; Magnus in »Fleck. J.-B.« 1877 p. 416) antiquos Graecorum scriptores vel poëtas Alexandrinos (cf. Riesium p. 220). Equidem — si disceptare necesse est — malim veteres scriptores Graecos intellegendos esse, quod illi, qui Catulli socii sectatoresque erant, iuvenes sola Graeca carmina digna esse, quae legerentur, censebant, prisca Latinorum scripta ut rustica infacetaque contemnentes. Sed tam subtiliter inter veteres Graecos et Latinos scriptores distinguere minime e Malli vel Catulli consilio fuisse puto. Videntur enim mihi »veteres scriptores« in universum ei dici, quorum opera Mallio iam pridem nota[3]) saepeque versata erant, sive Latini sive Graeci. Hoc autem statuto ipso sequitur, quid de altera quaestione, cur Mallius »veteribus scriptoribus« non oblectetur, iudicem. Weisius enim (pr. 1869 p. 9) et Schulzius (diss. p. 18 sqq.) et Magnus (in »Fleck. J.-B« 1877 p. 416) et Birtius (p. 6) voluerunt Catulli amicum animum per vigilias legendo ideo oblectare non potuisse, quia illum »veteres scriptores« omnino defecissent. Contra Munro (p. 167 sqq.), M. Schmidtius (in »Fleck. J.-B.« 1880 p. 782), Riesius (p. 220), Baehrensius (in comm. ad vv. 7/8), Weberus (p. 105/7) Hoerschelmannus (p. 7/8), H. Monsius (p. 14) censebant illos scriptores, quippe qui veteres essent, a Malli gustu in tempus abhorruisse. Qua sententia vox »veterum« praecipue premenda est. Si autem illam opinionem: Mallio »veteres scriptores« defuisse, contemplamur, hae moventur dubitationes: cur Catulli amicus, si veteribus operibus carebat, novorum libellos ad recreandum animum non adhibuit? An eorum quoque scripta ei defuerunt? Qui autem, si hanc sequimur rationem, fieri potuit, ut Mallius Catullum »veterum« scriptorum opera se deficere certiorem faceret recentiorum operum inopiam neglegens, quamquam Catullus ipse princeps erat »τῶν νεωτέρων«? Neque magis cogitari potest Mallium recentiorum scripta fastidivisse atque id cum poëta communicavisse. Offendisset enim tali rusticitate Catulli ingenium neque meritus esset, ut poëta Veronensis, quamvis lugeret, benigne per versus responderet (cf. Hoerschelmann. p. 7/8). Hae causae ergo priori opinioni repugnant. Sin autem alteram inspicimus, longe probabilior illa esse videtur. Mallium enim veteres scriptores non oblectabant, quia illorum detrita et obsoleta scripta ei in praesens displicebant. Nam qui e morbo gravi corporis aut animi reconvalescunt, fastidioso et obstinato gustatu sunt, ut modo haec summo cum taedio repudient, modo illa ardenti studio captent. Atque minime mireris Mallium, Catulli familiarem, suae aetatis poëtarum ingenio indulsisse.

[1]) cf. Harneckerum (p. 4). Falso Magnus in »Fleck. J.-B.« 1877 p. 416 condiciones exponit: »Der Freund klagt, dass Venus sich von ihm wende.«

[2]) Coniungenda sunt potius verba »veterum scriptorum musae« (cf. Eurip. Med. 421: »μοῦσαι παλαιγενέων ἀοιδᾶν«) quam »veterum scriptorum carmine« (Vulpius p. 338).

[3]) cf. Plaut. Pseud. 363: »vetera (= iamdudum nota) vaticinamini.« Cic. ad Att. VIII/3 »illa vetera omittere«.

Cum igitur hac sententia omnia commode illustrentur, non iam dubitari potest, utra causa verisimilior sit. Censeo ergo »veterum scriptorum« opera Malli animum ideo non exhilaravisse, quod illum tam antiquorum taedebat.

IV. De versu decimo.

Huius versus explanatio maximi est momenti, quippe qua non modo tota fere versuum 1—40 interpretatio constet, sed etiam rationes, quae inter vv. 1—40 et 41—160 intercedere dicuntur, maximam partem exordiantur.

Rogaverat igitur Catullum Mallius, ut sibi »munera et Musarum et Veneris« praeberet. Quae verba commentatores non uno modo interpretati sunt. Itaque nos ea contueri et considerare necesse est. Atque primum quidem si requirimus, quae

sint »munera Musarum«, poëtarum Graecorum Latinorumque locos conferendo intellegimus illa translatione poësin et carmina significari solere. Cf. e. g. (— vd. Harnecker. p. 7; Baehrens. comm. ad vv. 9/10; Ellis. comment. p. 322 —) Hor. Ep. II/1/243: »haec Musarum dona« (= carmina); Archil. fr. 1: *καὶ Μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος* (= artem carmina fingendi); Solon 13/51: *ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσέων* (*λάβε*) *δῶρα διδαχθείς* (= artem carminum); Alcman fr. 61/28 B: *τοῦτο ἀδειᾶν* (*ἐμῖν*) *Μουσᾶν ἔδειξεν δῶρον μάκαιρα παρθένων* . . (= carmina componere); Theogn. 250: *σὲ πέμψει ἀγλαὰ Μουσάων δῶρα* (carmina); id. 1055—57 (= carmina). Quibus exemplis confirmatur verba »Musarum munera« haudquaquam apud poëtas omnes bonas artes designare, quibus illae deae praesunt, sed ad carmina et poëtarum studia sola spectare. Itaque pravum esse iudico, si qui (Ramlerus; Weidenbachius p. 33 sqq.; Magnus in »Fleck. J.-B.« 1875 p. 851; Hoersch. p. 14; Birt. p. 6 et 14) opinantur verbis illis libros denotari (cf. Schoell. in »Fl. J.-B.« 1880 p. 471). Non enim Musae hominibus libros donare traduntur. Ceterum plerique eorum, qui illi errori adstipulabantur, »libros carminum« intellexerunt, veram significationem quodammodo observantes.

Quod deinde ad »munera Veneris« attinet, poëtae hanc deam duo donorum genera tribuentem faciunt. Nam illis verbis designantur 1) venustas atque corporis pulchritudo. Cf. in hunc sensum (vd. Harnecker. p. 7/8; Birt. p. 8; Ries. p. 220.) Hom. Il. III/54 sq. . . *τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, ἥ τε κόμη τό τε εἶδος*; Hom. hymn. in Ven. *Κυπρογενῆ Κυθέρειαν ἀείσομαι, ἥ τε βροτοῖσι μείλιχα δῶρα δίδωσιν ἐφ' ἱμερτῷ δὲ προσώπῳ*; Theogn. 1304 *Φεύγεις, ἀλλ' ἐπίμεινον, ἐμοὶ δὲ δίδου χάριν. οὐκέτι δηρὸν ἕξεις Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου*; Hor. Carm. IV/10/1: (ad Ligurinum) » . . Veneris muneribus potens«. Sed non modo formositas Veneri vindicatur, sed etiam 2) cupido et gaudia amoris. De hoc sensu leguntur (cf. Ellis. p. 322) Hom. hymn. IV/102 sq. » . . *γρηὶ παλαιγενέϊ ἐναλίγκιος, ἥ τε τόκοιο εἴργηται δώρων τε φιλοστεφάνου Ἀφροδίτης*«; Hesiod. Scut. 47 *τερπόμενος δώροισι πολυχρύσου Ἀφροδίτης*; Theogn. 1293 *φεύγουσ' ἱμερόεντα γάμον, χρυσῆς Ἀφροδίτης δῶρα*; ibid. 1331: *ἕξεις Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου χρηίζων*; ibid. 1386; Solon. fr. 26[1]); Anthol. lat. (Baehr. ed.) 149 v. 13: »compedibus Venerem, vinclis constringe Lyaeum, Ne te muneribus laedat uterque suis«; Maximian. I/163: »Non Veneris, non grata mihi sunt munera Bacchi«. Hisce ergo locis »Veneris munera« ad corporis voluptates spectant, similiter ac munera

[1]) cf. de eo pg. 29!

Bacchi ad vina (Hor. Carm. I/18/7; IV/15/26; Ovid. Rem. 803; Verg. Georg. III/526; Lygdam. VI/18; Columell. X/4; Auson. XVIII/2/153 etc.), vel Cereris munera ad fruges (Verg. Georg. I/7). Sunt autem, qui (ut Ramlerus; Doeringius p. 139: »carmina, quibus Venus adspirat«; Schulzius diss. 1871 p. 19 sqq. etc. — cf. pg. 30!) putent illius deae munera carmina amatoria esse, cum versu 17 nitantur, in quo legitur »multa satis lusi«, quod perperam ad poëmata lasciva ludicraque pertinere volunt. Sed etsi dea Venus saepius a poëtis invocatur et laudatur, quia materiem carminum praebendo eos adiuvet (Ov. A. A. I/30 »coeptis, mater Amoris, ades«; cf. eiusdem III/43/sqq., ubi Venerem se artem amandi — sed minime ipsum poëma! — docuisse Naso pronuntiat)[1]), aut quia scripta dictaque venustate exornet (— ita Gellius XIX/9/7 de rhetore quodam dicit eius linguam »nullam dulcedinem Veneris atque Musae« habuisse —), tamen nusquam antiquarum litterarum carmina amatoria »Veneris munera« nominantur (cf. Birt. p. 6.). Atque nemo adhuc exemplum attulit, quo illa observatio everteretur (Birt. suppl. 1890 p. 3). —

Quid autem coniuncta valeant »munera et Musarum et Veneris«, tum demum certe cognoscere poterimus, si constituerimus vocabulorum »et — et« significationem. Jam Schoellius (in »Fleck. J.-B.« 1880 p. 471) monuit particulis illis vim inesse, qua partes separarentur atque pro se quaeque ut absoluta statueretur. Hanc autem observationem diligenter confirmavit Birtius p. 6/7. Multa enim Ciceronis exempla protulit, in quibus »ab uno nomine plurativo (— in v. 10 »munera« —) bini genetivi (— vel possessivi vel qui subiectum logicum declarent —) pendeant voculis »et — et« ita distincti, ut nomen illud bis cogitari debeat et separatam ad utrumque genetivum relationem habeat«. Lubet autem e Birti argumentis nonnulla afferre: Cic. Verr. II 1/60: »habeo et istius et patris eius tabulas omnes« (diversae indicantur tabulae!); pro Flacco 42: »epistolis et sororis et matris« (et hae diversae erant); pro Cluent. 139 »ut animos et populi Romani et iudicum commoverem«; Philipp. XIII/49: »omnibus et virtutis et fortunae bonis«; pro Caecin. 104: »hominem cognitum multis signis et virtutis et humanitatis«. Contra quod ii, qui »munera et Musarum et Veneris« non diversa munera esse censebant, sed his verbis de

[1]) Propriis de causis Lucretius poëmatis sui initio Venerem appellat (v. 24 sqq.): »te sociam studeo scribendis versibus esse . .« Nam cum Venus gentis Memmiae, cuius proli opus dedicavit, fautrix esset, eam ipsam grandibus verbis omnium rerum, quarum naturam descripturus erat, auctorem celebravit.

eisdem donis duas condiciones referri: eorum ut Venerem ita Musas auctores fuisse, nullum locum afferre potuerunt, quo ipsorum opinioni fundamentum iaceretur. Quae enim ad v. 10 protulit Riesius in p. 220 (Hor. Carm. I/1/1 sq.: »Maecenas . . et praesidium et dulce decus meum«; Ov. Met. III/266 et VI/524), ad talem constructionem, qualis in illo versu Catulli proposita est qualemque Birtius tractavit, non pertinent ideoque inutilia sunt.

Pro certo igitur nobis habendum est in versu decimo carminis LXVIII »munera Veneris« et »munera Musarum« distinguenda esse (cf. Birt. p. 7; Skutsch. in »Rh. Mus.« 1892 p. 146). Loquendi enim usu ad hanc explanationem adducimur.

Sed alia etiam causa exstat, cur illa munera separatim percipere malim. Nam versibus 5—8 duas malas Malli condiciones describi vidimus, quibus se vexari ille cum Catullo communicaverat: 1) sibi simul cum Venere somnum deesse et 2) levandis insomnii cruciatibus apta poëtarum opera non praesto esse. Atque cum neminem fugiat versum decimum illa verba respicere, quia voces summam sententiarum continentes (»Venus« 5 — »Musae« 7 — »Musarum« 10 — »Veneris« 10) per chiasmum gravitur repetuntur (cf. Schulzii diss. p. 18 sqq.; Hoerschelm. pg. 8 et 17; Thomas. comm. ad v. 10; Skutschium l. c. p. 146), necesse est illis duabus inopiis binas amici preces respondere. Nam etsi fieri potuisse concedas, ut Catullus, si vellet, duobus amici optatis uno officio satisfaceret, tamen in illo versu, ubi, quae Mallius petiverit levamina, indicatur, secundum diversas aerumnas (5/6 et 7/8) diversas preces enumeratum iri exspectandum est (cf. Hoerschelm. p. 19.)

Quamobrem minime mihi placent iudicia eorum, qui »munera Musarum et Veneris« unius generis res significare in animum induxerunt. Plurimi quidem, qui hanc inierant rationem, illa »munera« carmen vel carmina amatoria esse Catulli ipsius censebant, cum formam poëticam Musis, argumenta erotica autem Veneri vindicarent. Invenitur autem huiusmodi interpretatio apud Vulpium (p. 388), Santenium (ad. v. 10), Hauptium (Belger. p. 247), Schwabium (»Q. C.« p. 124), Westphalium (p. 69/70)[1],

[1]) Schulzius (in diss. 1871 p. 18 sqq.) dicit Westphalium »munera Veneris« versus amatorios ipsius Catulli esse velle, »mun. Musarum« autem libros ex eius bibliotheca. Quod falsum, quia lucide W. discernit: 1) v. 10: »mun. et Mus. et Ven.« = »ein köstliches Gedicht erotischen Inhaltes«; 2) v. 33—36, quibus libros a Catullo peti putat. cf. cap. V!

Gruppium (p. 503 sq.), Ellisium (in comm. p. 322 ad v. 10: »by sending him a poëm . ., treating of some subject connected with love . .«)[1]), Munronem (p. 171 sq.), Riesium (p. 220), Hermem (pr. 1889 p. 3/4), Schanzium (»R. L. G.« I. p. 150 sq.), Weberum (»Q. C.« p. 107), Palmerum (l. c. p. 347). In hunc errorem stabiliendum autem afferebatur Anacreontis fr. 94: *Οὐ φιλέω, ὃς κρητῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει — Ἀλλ' ὅστις Μουσέων τε καὶ ἀγλαὰ δῶρ' Ἀφροδίτης συμμίσγων ἐρατῆς μνήσκεται εὐφροσύνης.* Sed hic locus, qui aperte de carminibus amatoriis agit, a versus decimi verbis valde differt. Apud Catullum enim nusquam miscendi sententia invenitur, quam lucide Anacreon demonstrat aeque atque in Anthol. Plan. 310/8 legitur de Sapphone: *Μοῦσα Κυπρίδι μιγνυμένη*, quae verba in eundem fere sensum intellegenda sunt. Ipsis enim vocibus »*δῶρ' Ἀφροδίτης*« amores peracti vel viva canentis cupido designantur, verbis »*Μουσέων δῶρα*« autem ars carmina contexendi; quorum »mixtura« nil aliud effici potest nisi carmina amatoria. In illis Anacreontis versibus ergo ipsa cogitatio libidinosa intercurrit, quam prorsus abesse dicit Harneckerus (p. 8). Quia autem in versu decimo cs. LXVIII illud »*μιγνύναι*« non modo non indicatur, sed etiam voculis »et — et« partes discernentibus prorsus excluditur, illa Anacreontis sententia ei non potest adaptari. Haud secus deinde de illo exemplo, quod Riesius in pg. 220 attulit, iudico: Sol. fr. 26 »*ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς . . . καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας*«. Hunc quidem in modum ille verba exscripsit; sed totus locus is est: »*ἔργα δὲ Κυπρ. νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδρ. εὐφρ.*« Media autem parte, quam Riesius silentio praeteriit, uniuscuiusque verbi notio clare definitur. Nam cum »*ἔργα Διονύσου*« comissationes et compotationes sint, »*ἔργα Κυπρογενοῦς*« amores lascivos esse, »*Μουσέων ἔργα*« autem carmina manifestum est. Haec tria sibi cordi esse Solo pronuntiat. Itaque nequaquam licet »*ἔργα Κυπρογενοῦς . . καὶ Μουσέων*« in unam sententiam coniungere, non magis quam illa verba vertere: »Dichtung und Anmut« (cf. Riesium l. c.). Ad corporis enim voluptates Solonis verba praecipue spectant, atque libidinosa gaudia, quod attinet ad »*ἔργα Κυπρογενοῦς καὶ Διονύσου*«, significata sunt.

Praeter illam autem Hauptii aliorumque opinionem etiam altera refellenda est, qua M. Schmidtius in »Fleck. J.-B.« 1880 p. 782/3 et Baehrensius (»Fleck. J.-B.« 1877 p. 409 et in comm. ad v. 10) »munera et M. et V.« unius rei denotationem esse

[1]) Alteram quoque admittit declarationem »mun. Mus.« = poemata, »mun. Ven.« = amores esse. Cf. pg. 33!

demonstraverunt. Cum enim disiunctivam vocabulorum »et — et« vim non ignorarent, ita illa verba explicaverunt, ut »mun. et M. et V.« unum carmen, quod et doctum et amatorium esset, i. e. elegiam, designare vellent. Sed primum illos viros doctos fugit Catullum de »muneribus« loqui, unde complura Mallium a poëta petivisse elucet. Quid deinde uno carmine elegiaco amico opus erat, qui veris Veneris gaudiis aeque indigebat ac scriptis legendis? Denique verba »Musarum munera« doctrinae cogitationem minime continere infra explanabo (cf. pg. 31!)

Tenendum igitur utique est in v. 10 »munera Musarum« diversa esse atque »Veneris munera«. Quare, quid sibi velit utraque vox, separatim nobis considerandum est.

Sed eorum doctorum, qui verum sectabantur munerum illorum duo genera definita esse accipientes, nonnulli ad perversa aberraverunt, cum in hanc vel illam vocem falsas inferrent sententias. — In quibus numerandi sunt, qui statuerunt »munera Veneris« carmina amatoria esse, »munera Musarum« carmina docta, vel ad Graecorum exemplum composita (cf. Kiessling. p. 15; Schoell. l. c. p. 471; Web. p. 110 sq.; Harn. p. 7/8) vel ex eis prorsus expressa (Schulzius in diss. p. 18 sqq.; comprobat hoc etiam Magnus in »Fleck. J.-B.« 1877 p. 416). Qui autem hanc explicationis rationem secuti sunt (praeter supra nominatos Doeringius p. 139; F. Hermes pr. 1888 p. 12; Benoist.-Thomas. ad v. 10) in ipso Catulli libello parvarum nugarum[1]) et magnorum carminum doctorum distinctionem reperiri recordati sunt (cf. Harn. p. 9: »Charakteristik der catullischen Muse«). Atque poëtam docta carmina sola digna habuisse, quae Musis vindicaret, demonstrare studebant tertio cs. LXV versu »nec potis est dulcis musarum expromere fetus Mens animi«, quae verba ad poëmata docta referenda esse opinabantur. Etsi autem concedo in illo carmine obvium esse, ut doctos intellegas versus, cum legatur in v. 2 »sevocat a doctis . . virginibus« et in v. 16 »carmina Battiadae«, tamen negandum esse puto verba »Musarum fetus« ad docta tantum carmina pertinere. Sed in universum carmina hac translatione designantur (cf. Riesium p. 198). Quid enim absurdius esset, quam si Catullus in c. LXVIII diceret se dolore impediri, ne »Musarum fetus expromeret«, i. e. docta componeret carmina? Levia scilicet et ludicra poëmata, quamvis doleret, fingere potis erat! Nonnun-

[1]) ipse Catullus ita nominavit in c. I/4; alibi »versiculos« (XVI/3 et 6) et »ineptias« (c. XIVb/1) appellat.

quam quidem tum aetatis Musae a poëtis »doctae« nominabantur (cf. Cat. XV/2; XXXV/17; Lygd. IV/45), quia saepissime rebus mythologicis et artificialibus operam dare videbantur; sed quis est, qui inde concludat Musas, cum »doctae« habitae sint, nil canere nisi docta artificiosaque carmina? Nonne omnia poëmata, et leves amoris versiculi et graves obscuraeque elegiae, Musarum »fetus« sunt? Itaque plane errat, quicumque Musas doctorum poëmatum tantum auctores intellegendas esse vult, velut Doeringius, qui »munera Musarum« carmina esse dicit, quibus Musae adspirent (p. 139), i. e. docta, »munera Veneris« autem carmina, quibus Venus adspiret, i. e. amatoria. Venerem enim ipsam carmina amatoria non donare supra iam explicavi (cf. pg. 27). Perversum igitur etiam est, quod Benoistius-Thomasius proponit: »mun. Veneris« carmina esse, quibus illa dea venustatem praebuerit (in comm. ad v. 10.). Praeterea, quod iam indicavi, omnibus opinionibus, quibus duo diversa carminum genera distinguuntur, amicum (cf. v. 5/6) veros amoris fructus desideravisse neglegitur (vd. pg. 30). Quare non licet, quod fecerunt A. Weisius (pr. 1869 p. 9), Birtius (p. 6/9), Magnus (in »Fleck. J.-B.« 1875 p. 851), Weidenbachius (p. 36 sqq.), »munera Veneris« ipsius Catulli carmina esse statuere sequentiaque »munera Musarum« in sensum aliorum librorum e bibliotheca poëtae parandorum interpretari.

Nam praeterquam quod plerique illorum virorum a prava opinione Mallium (vv. 7/8) veteres scriptores desideravisse (cf. pg. 25), profecti sunt, etiam mirum esse videtur Catulli carmina simpliciter »munera Veneris« nominari atque ita Musarum gratiae, qua aliorum poëmata condonantur, expertia esse dici. Num Catullus nil nisi argumenta amatoria lascivaque tractavit? Num Musas ei propitias fuisse negamus?

Si denique omnia, quae ex hac dissertatione elucebant, collegimus, hic est eventus: Malli preces, quas Catullus versu decimo indicat, vice versa ad inopias in vv. 5/6 et 7/8 descriptas referendae sunt. Petiit ergo amicus primum »munera Musarum«, i. e. in universum poëmata, quibus insomnii labores levaret. Qualia autem rogaverit carmina, ex eo enucleandum est, quod »veteres« scriptores sibi taedio esse dixerat Mallius. Voluit igitur certe novorum scriptorum opera. Sed dubitari potest, utrum ipsius Catulli carmina (ita Harn. p. 9) an aliorum intellegenda sint. Ita autem de hac causa ratiocinor: cum a poëta clarissimo nova poëmata posceret Mallius, eius ipsius opera inprimis flagitare debuit, nisi offensionem praebere voluit. Amicus igitur a Catullo praecipue quae ipse ille recens composuisset carmina, rogavisse videtur. Sed verisimile est Mallium non modo Catulli, sed etiam aliorum »νεωτέρων« scripta optavisse.

Optimo iure enim Hoerschelmannus (p. 14) monuit diutino Malli insomnio solius Catulli poëmatibus satisfieri non potuisse. Erravit autem, cum inde concluderet Mallium in epistolio inprimis aliorum poëtarum recentiorum libros voluisse. Urbane enim ipsius poëtae, quem adiit, nova opera debuit rogare. Atque praeter ea illi licuit a Catullo poëmata aliena petere, quia poëta Veronensis multis aliis »Euphorionis cantoribus« amicus erat. Hunc fere in modum iam Parthenius verba »munera Musarum« interpretatus esse videtur, cum ea pro »carminibus Catulli et libris ex eius bibliotheca« usurpata esse censeret.

Nonnulli autem opinati sunt Mallium, cum »mun. Mus.« peteret, id egisse, ut Catullus sibi ipsi proprios versus novos componeret. Quod maxime dubium esse puto, quia ille a poëta, si celeri solamine praesentis miseriae opus erat, flagitare non potuit, ut subito numerum carminum, quanto ad pervigilias recreandas indigebat amicus, componeret. Ineptum insolensque eiusmodi optatum fuisset. — Sed mihi liquet Mallium, ut Catullus, quae prompta haberet carmina nuper composita, sibi mitteret studuisse. —

Qui deinde Catullus amico »Veneris munera« praebere potuit? Amoris quidem gaudia quin his verbis denotata sint, dubitari non potest, quia altera »venustatis« notio (cf. p. 26) ad hunc locum non est accommodata.

Et illis, qui versibus 5/6 amissam Malli amicam tradi putabant, obvia erat sententia Catullum Mallio ita amoris gaudia praebere debuisse, ut novam ei amatam compararet (cf. Skutsch. in »Rh. Mus.« XXXXVII p. 146 ann.) Quam opinionem Birtius (p. 12) falsa versuum 27 sqq. explicatione seductus (cf. Cap. V) eo detorsit, ut Catullum magnificum lenonem fingeret, qui non modo Mallio, sed etiam omnibus Veronensium iuvenibus bella scortilla ex urbe Roma mittere soleret. Birtii autem existimatio mihi confestim refutanda esse videtur. Nam etsi Catullum leviorem iuvenem fuisse scimus, quales multi illius aetatis erant, tamen nullo modo[1]) statuere possumus eum puellarum mercatum tam ingentem et multiplicem instituisse (cf. Sonnyum in »Woch. f. kl. Ph.« VIII p. 53 sq.), cuius similem illis temporibus extitisse haud scio an nemo demonstrare possit. — Sed ne unum quidem scortum ut sibi transmitteret Catullus, amicus flagitare potuit, quia illum Veronae, in oppido moroso severoque (vv. 27 sqq.) versari sciebat. Unde enim Veronae puellam parare ille quivit?

[1]) nam c. C, quod ad probandam sententiam affert Birtius, nihil est, quia nemo adhuc eius argumenta ratione indubitata illustrare potuit.

Quare alii facetius »munera Veneris« ita interpretati sunt, ut poëtam proponerent amico meretriculam aliquam commendare debuisse (velut Ellis. in comm. ad v. 9/10 p. 322; inclinant ad hanc opinionem Magnus in »Z. f. d. G.-W.« 1878 p. 496 annot. et Monsius p. 11). Sed hoc quoque dubitationes moventur. Fac enim Catullum pro amico litteras ad meretricem illius ipsius oppidi, in quo Mallius versabatur (— neque is Romae erat! cf. p. 47 —), dedisse: inde animum inducimus Catullo illius oppidi puellas optime notas fuisse, quod incredibile censeas, cum poëta Malli »hospes« (v. 12) fuerit atque in eius patria raro moratus esse videatur. Aut fac Catullum Romam scripsisse ad huius urbis puellam quandam, ut Mallio amica fieret, qui alibi domicilium habebat: tale officium longius vides fuisse, quam quod Mallio usui esse posset. Ceterum, si Catullus amicam commendare debuit, non intellegitur, cur Catullus tam diligenter sibi ipsi amoris studia in praesens tempus non placere profiteatur (cf. vv. 15—32), cum facillime, quamvis tristis esset, Mallio amicam per litteras commendare posset, ita, ut ipse ab eiusmodi lusibus tum procul abesset (Harn. p. 7; Hoersch. p. 9).

Hoerschelmannus denique, qui, quamquam libidinosum sensum illius »munera Veneris« bene observabat, tamen Doeringii etc. opinioni illa verba ad carmina amatoria spectare inhaerebat, statuit (p. 11) Mallium a Catullo rogavisse, ut eorum munerum, quae ipsi[1]) Venus donaret, se participem faceret ita, ut ipse novos amores susciperet eorumque narrationem mitteret. Sed puto eiusmodi solamen serius Mallio venturum fuisse, si Catullus primum ipse amores peragere, tum etiam describere debuit! Neque haec artificiosa cogitatio ipsis verbis apta est. Nam si »munera Veneris« amores Catulli sunt, de eorum descriptione petita nihil indicatum invenitur; sin autem illae voces amorum descriptionem — poëticam nimirum — designant, idem error exsistit, quem iam refellimus: »munera Veneris« carmina amatoria esse[2]). Praeterea H. ipse (p. 11) concedit tali munere, quale ipse intellexit, Catullum Mallio ea, quae vere optaverat, amoris gaudia ipsa atque una cum eis somnum (vv. 5/6), tribuere non potuisse.

Sed quamquam H. hoc artificio (cf. Skutsch. in »Rh. Mus.« 1892 p. 146) a recta via aberravit, tamen in p. 9 et 10 unum

[1]) Alii commentatores Catullum »munerum Veneris«, quae hominibus fieri possunt, Mallio conciliatorem esse debuisse proponebant.

[2]) Dicit Catullum, ut Ovidius amorum suorum descriptionem breviter »Amores« appellaverit, ita suorum gaudiorum narrationes compendiose »munera Veneris« dicere potuisse.

bene demonstravit: Catullum, cum in vv. 15—32 omne amoris studium (— ita illum locum interpretandum esse infra explicabo cf. p. 44 —) se abhorrere diceret (cf. Birt. p. 5/6), a Mallio quodammodo excitatum esse, ut ipse amoris gaudiis se daret. Atque si recordamur illam priorem amici inopiam (vv. 5/6) et conferimus inprimis vv. 27—30, certa luce omnes condiciones illustrare possumus. Ita enim ratiocinandum esse puto: Mallius somnum capere non potuit, quia Veneris, qua illum adducere licuit, gaudiorum propter animi demissionem eum taedebat, idque malum Catullo amico questus est. Voluit ergo poëtam sibi illarum voluptatum cupidinem denuo incitare. Itaque, quod versibus 27—30 apparet, Mallius poëtae crimini dat, quod Veronae, ubi mores severiores sint, quam qui homini elegantiori conveniant, tamdiu remaneat[1]). Optabat igitur, ut Catullus Verona discederet. Sin autem hoc inventum coniungimus cum illa Malli prece, concludere licet, qua ratione Mallius a Catullo »munera Veneris« petiverit. Cupiverat enim Catullum Verona ad se venire atque secum amores somniferos suscipere, quos solus subire non potuit dolore profligatus. Jam Parthenius vera cum falsis miscendo hanc declarationem adumbravisse videtur, cum duo Malli petita fuisse diceret, quorum »unum erat carminum et librorum, alterum, ut Romam (?) rediret« (cf. Hoersch. p. 10 et Sonnyum in »Wochschr. f. kl. Phil.« VIII p. 53/4.).

Si denique huic de »muneribus Veneris« opinioni alteram de »muneribus Musarum« propositam asserimus, hoc effici videmus: Mallius Catullo scripserat, 1) ut novorum amorum suscipiendorum causa ad se veniret, 2) secumque afferret (cf. v. 40 »deferrem«!) recentia carmina ipsius aliorumque.

Cui aliquis opponere possit Mallium, cum Veneris munera petivisset, quibus somnum adducere posset, non iam necesse habuisse, insomniis quoque consulendo poëmata oblectantia quaerere. Sed oppressus Malli animus respiciendus est. Potius enim duo medicamina poposcit, ut certa esset sanatio. Quid porro verisimilius est, quam Mallium, cum Catullo scriberet, ut ad se veniret, praeterea oravisse, ut amicus nova ipsius poëmata secum apportaret?

Hunc ergo in sensum Catullus versu decimo pronuntiat Mallium »munera et Musarum et Veneris«, i. e. carmina et gaudia amoris, a se rogavisse.

---

[1]) cf. p. 43!

V. De Catulli responsis.

Catullus, postquam versu decimo duo munera prorsus diversa amicum poposcisse pronuntiavit, de eis respondere incipit. Atque eum, quae Mallius requisiverat, aut omnino aut ex parte recusaturum esse ex ipsa coniunctione initii adversativa (v. 11 »sed«) apparet. Sed poëta, priusquam »munera et Musarum et Veneris« singulatim pro se quaeque tractat, a principio (vv. 11—14) in universum miserarum ipsius condicionum, quibus »dona beata« dare prohibeatur, excusationem praeparat. Verum hunc locum tum demum recte intellegere poterimus, cum versus 15—36 satis illustraverimus. Cf. hs. cap. finem!

Itaque a versibus 15—32 rite coepturi videmur. Quos equidem praecipue ad neganda »munera Veneris« pertinere censeo. Querens enim Catullus dicit se aetatis vere[1]) ipso satis multa »lusisse«. De qua voce docti plane dissenserunt, cum hi (Ellisius in comm. p. 323 ad v. 17 aliique) eam ad lusus amatorios referendam esse arbitrarentur, illi (inde a Vulpio p. 389/90 plerique, novissime Weberus p. 109 et H. Monsius p. 14) ad carmina ludicra erotici coloris.

Sed si Catulli sermonem respicimus, neque unam neque alteram notionem nudae voci »ludendi« tribuendam esse videmus. Poëta enim hoc verbo sollemniter planam latamque sententiam ludibria faciendi denotat. Quale autem ludorum genus intellegendum sit, singulis locis aut voce explanatoria aut adhaerentium partium argumentis definitur. Velut in carmine L/2 »multum lusimus« continuo sequentibus »in meis tabellis« illustratur aeque atque in eiusdem poëmatis versu quinto »ludebat« enuntiato praecedenti »scribens versiculos uterque nostrum« declaratum est (cf. Birt. p. 6). Quare iniuria id sibi vindicant exemplum, qui in hoc carminis LXVIII versu »ludere« idem,

---

[1]) Riesius in comm. p. 221 (cf. prol. VII et XIX) opinionem protulit vv. 15—17 ad unum adolescentiae momentum, sextum vel septimum decimum vitae annum, quo pueri togam praetextam deponere solebant, spectare atque inde sequi fratrem haud multo post septimum decimum Catulli annum mortuum esse. Itaque etiam c. LXVIII a Catullo admodum iuvene compositum esse. Sed Harneckerus (in »Fleck. J.-B.« 1884 p. 770 sqq.) demonstravit vocem »primum«, quam Riesius neglexerat, et sequentem versum explicativum (v. 16): »iocundum cum aetas florida ver ageret« indicare non de uno anno, sed de longo spatio, de tota adolescentia, illa verba agere, quam Catullus ut iam remotam respicere videtur (cf. B. Schmidt. in prol. XXIV). Nam »tempore, quo primum« = »ubi primum« est, ut efficiatur sententia: »Jam prima adulescentia (et inde ab ea porro!) lusi« (cf. et Magnum in »J.-Ber.« 1887/II p. 156, Weber. p. 108.).

quod »carmina ludicra pangere« esse volunt (ita Schoellius p. 471 Schulziusque diss. p. 18 sqq., Riesius p. 222, Hermes in »Wochschr. f. kl. Phil.« IX p. 166/7). Simili autem modo in Ov. Trist. I/9/61: »Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen« vaga vox »ludendi« clare circumscribitur et in Mart. Ep. I/103/1: »Quaecunque lusi ..« bibliopolae mentione facta (v. 6), quid intellegere debeamus, indicatur. Longius explanatio repetenda est in Mart. Ep. IX/26/10: »lascivum iuvenis cum tibi lusit opus« et in Ovid. Trist. V/1/7: »Integer et laetus laeta et iuvenalia lusi«; sed illic »carminibus« (v. 1) et »parva Musa« (v. 5) praemonstrata,[1]) hic »flebili carmine« opposito omnis dubitatio removetur. Cf. etiam Culicis initium: »Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia«. Porro in ipsius Catulli cc. LXI/211; XVII/17; LXVIII/156 e relatione sententiarum vocem »ludendi« ad Venerea pertinere satis elucet. In c. LXI/232 denique illud »lusimus satis« minime, ut Riesius (p. 130) proposuit, a poëta de carmine finito dicitur, sed e sententia comitum agminis ad deductionis ludos festivos, quales priores carminis versus depinxerant (— velut iocatio Fescennina, nucum sparsio —), finitos spectat. Etiam carmen nuptiale (— una cum aliis ritibus —) voce »ludendi«, quae hoc loco vere vago sensu percipienda est, attingi neminem fallit. Nonne autem in septimo decimo quoque versu cs. LXVIII aliqua vocis »ludendi« declaratio statuenda est? Immo vero; nam continuo[2]) sequitur: »non est dea nescia nostri, quae dulcem curis miscet amaritiem«[3]), quibus verbis

[1]) Praeterea hic Martialis versus a praecedente: »Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures« pendet.

[2]) Weberus (p. 109) ob id ipsum, ut vocem »lusi« ad carmina lasciva referre posset, inter verba »lusi« et »non est dea etc.« gravem interpunctionem immittere voluit.

[3]) Sententia quidem huius versus clara est saepiusque apud scriptores antiquos invenitur (— exemplis a Riesio p. 222 enumeratis addo Apul. II/10: »dulce et amarum gustulum«). Sed vox »curis« iure compluribus iam offensioni erat (a Gruppio in »Minoe« p. 504 sq.). Sive dativum (ut Ellisius in comm. ad v. 18: »she, who mingles with her sorrows a honey-gall« aut Weisius in pr. 1863 p. 7: »Venus, welche unter die Sorgen des Lebens das Bittersüss der Liebe mischt«) sive ablativum esse vis (hoc prompsit Kiesslingius p. 19: »dulcis amorum amarities curarum admixtione efficitur«), utique explanatio artificiosissima efficitur. Itaque »curis«, quod e Catulli carmine LXIV/95, ubi in similem sensum legitur: »sancte puer, curis hominum qui gaudia misces«, falso translatum esse videtur, emendatione mutandum esse puto. Sed Baehrensii (in comm. ad v. 18: »vitis«; cf. iudicium B. Schmidtii in »Jen. Litt.-Z.« 1878 p. 211) et Hermis (pr. 1888 p. 13: »musis«) coniecturae illepidae sunt. Equidem, cum censeam legendum esse, cui illam dulcamaris mixturam praebeat Venus, proponam: »pueris«, quod respondeat voci »hominum« in c. LXIV/95. Adolescentes autem non semel Catullus »pueros« appellavit, cf. XII/9; XXXXV/11; LXXVIII/4; LXII/47.

Venus designatur, de cuius filio in c. LXIV idem fere pronuntiatur (cf. et Cir. 242: »non est Amathusia nostri tam rudis« quae plane imitatio Catulli est). Quia autem illud »multa satis lusi« artissime cum sequentibus coniunctum est, cum haec sine ulla coniunctionis copula adiecta sint, vocem »ludendi« Veneris mentione in certum sensum definitam esse constat. Atque ut illius deae »munera« non carmina amatoria, sed amoris gaudia intellegenda esse vidimus, ita hoc loco ludos, qui ad deam »dulce amaro miscentem« pertinent, minime poëtica ludibria amores canentium, sed veras res Venereas esse illa ipsa imagine, qua Venus denotatur, discimus[1]). Haupti igitur versioni (cf. Belg. p. 247): »von früher Jugend an habe ich viele Liebesgedichte gedichtet« non assentior. Nam Catullus, ex quo togam candidam induisset, se gaudia doloresque amoris subiisse vv. 15—18 perhibet neque aliud quidquam. — Atque hoc Veneris »studium« fratris morte exstinctum esse Catullus a v. 19 profitetur. Ne autem vocem »studii« ad poëtica opera spectare putaveris, quod nonnulli »carminum« subdendorum gratia fecerunt (Weisius pr. 1863 p. 5, Benoistius-Thomasius ad v. 17, Munro p. 168 sq.)! Nam hoc substantivo ipso quaelibet animi directio adumbrari potest: ita in Ter. Adelph. v. 41 de alterius fratris indole dicitur: »dissimili is studio est«, cf. Verg. Aen. II/39: »scinditur .. studia in contraria volgus«; Cic. pro Cael. 46: »studia delectationis: ludus iocus convivium«; apud Horatium in Sat. II/2/12: studium pilae legitur, in Sat. II/5/80 etiam »iuventus .. Veneris studiosa« (!), cf. Claudian. Rapt. Proserp. III/412 sq. »studia .. procorum«. — Non ergo dubitari potest, quin Catullus pronuntiare voluerit ipsius studia amoris fratris morte obiisse, praesertim cum vocula »hoc« illa verba arte cum praecedentibus versibus 15—18 coniungat. Cum autem Catullus recentem dolorem memoraret, ita commovebatur, ut in lacrimando fratre a v. 20 usque ad v. 24 sententiarum digressionem institueret. Quae ab illa de rebus venereis parte (vv. 15—19) omnino aliena et abhorrens est. Cave ergo, ne voces »mea fregisti commoda« et »omnia gaudia nostra, quae tuus .. altus alebat amor« ad amoris gaudia in vv. 15—19 commemorata referas, quod fecit Skutschius in »Rhein. Mus.« 1892 p. 147 (cf. ad hoc F. Hermem in »Wochschr. f. kl. Phil.« IX p. 166/7). Immo ex tali errore oriatur, ut aliquis fratrem antea Catullo ducem conciliatoremque amorum fuisse concludat, quo mortuo nunc »omnia« Catulli »gaudia, quae ... etc.«, i. e. amores et licentia, interissent. Quod est

[1]) Errat igitur H. Monsius, qui hoc loco dubiam vocem »ludendi« esse vult (p. 18.

perversissimum, cum vv. 20—24, secreti a praecedentibus et a sequentibus, verbis nimis fortasse lamentantibus demissionem desperationemque Catulli in universum depingant, quod confirmatur versu 24: »tecum una tota est nostra sepulta domus« longe a sententiis amorum remoto. Hac autem causa natum est, ut poëta partem de »Veneris muneribus« agentem, quae illa digressione interrupta esset, denuo versibus 25/26 recipere[1]) cogatur, qui non modo argumentis, sed etiam partim verbis simillimi sunt versuum 19/20 (»hoc-haec; totum-tota; studium-studia«). Erant autem, qui propter numerum plurativum »studia« in v. 26 praeter »Veneris studium« etiam »Musarum studium« intellegendum esse animum inducerent secundum bipartitionem in v. 10 repertam. Sed cum neque in versibus praecedentibus neque in sequentibus (vv. 27—30) — quibus, quod infra explicabo, tale sententiarum turbamentum omnino excluditur — usquam Musarum vel poësis cogitatio intercurrat, fieri non potest, quin illa opinio repudietur. Veneris gaudia autem in vv. 25/26 intellegenda esse etiam verbis additis »atque omnes delicias animi« apparet, cum vox »deliciarum« apud Catullum inprimis ad lascivas voluptates spectet: cf. c. LXXIV/2; XLV/24; XXXII/2; VI/1 (Skutschius l. c. p. 147 annot.; Birtius p. 10; Weberus p. 112; cf. etiam A. Weisium pr. 1869 p. 14). Verum minime licet verba illa ita disiungere, ut »haec studia« carminum studia esse perhibeatur (Munro p. 168 sq., Weberus l. c.), »delicias« autem amoris gaudia (Baehrens. ad v. 25/6). Nam copula »atque« indicatur vocem »deliciarum« etiam illa »studia« amplecti, cum haec illarum tamquam pars sint. Tenendum igitur est voce »studia« idem significari atque voce »studium« in v. 19. Pluralem autem numerum ad unam propensionem solam denotandam in usu esse Birtius (in p. 10) exemplis stabilivit. Ne autem minima remaneat dubitatio, verene »haec studia« in v. 26 ad amorem spectent, versuum sequentium 27—30 contemplatione efficitur. Quo enuntiato voce »quare« versui 26 addito optime demonstratur, quam ineptum sit, inter seriem sententiarum firme contextarum, quae omnes sine exceptione ad illa »munera Veneris« pertinent, »carminum« emblema intericere. Nemo enim dicat bonum argumentorum connexum praeberi ex. gr. eo, quod M. Schmidtius (in »Fleck. J.-B.« 1880 p. 783) proposuit: »mit erotischer Poesie habe er nichts zu thun; Verona sei für ihn der rechte Ort«. Verum versibus 27—30 simplex ordo sententiarum ad amores

[1]) Neque necesse est nos hanc repetitionem per imitationem Alexandrinorum consulto institutam esse dicere, ut P. Weidenbachius fecit in diss. p. 33 sq., cum potius ipso rerum ordine declarari possit.

spectantium, quem improvisa alienarum rerum commemoratione interrumpere non licet, graviter finitur. Hunc ergo in modum conturbatio argumentorum vitatur atque optime partes alia ad aliam adaptantur. Priusquam autem summam versuum 15—32 referamus, versus 27—30 plane illustrare opus est.

Quorum duae interpretationes inde ab initio sexti decimi saeculi exstant, usque ad hunc diem aeque florentes. Altera a Palladio (ed. 1500) inventa est, qui illis versibus Catulli amatae (— quam Lesbiam fuisse iam Vulpius p. 391 arbitratus est —) perfidiam tradi putavit, cum verba ita construeret: »Veronae esse turpe Catullo[e] (»est« scil.), quia hic (Romae!) quivis de meliore nota in cubili (a te) deserto frigida membra tepefa[e]cit«. Nam, ut postea Santenius ad v. 27, Froelichius (in »Abh. d. bay. Acad.« V/3/263), Ellisius (in comm. p. 324 ad v. 27), Munro (p. 170 sq.), Thomasius (ad v. 27), hanc totam partem a Catullo per orationem directam e Malli epistola excerptam esse putavit. At Vulpius, qui ceterum Palladium secutus est, (p. 391) solum enuntiatum causale »quod hic — cubili« oratione directa ex amici litteris translatum esse maluit. Sed haec constructio durior est quam quae admittt possit (cf. p. 42 ad Birti sententiam!). — Hunc autem in sensum verba a Palladio eiusque asseclis explicantur: Catullo turpe esse Veronae morari, quia Romae nobilissimus quisque in lecto a Catullo deserto se tepefaciat, i. e. cum eius amata rem habeat. Atque Palladii interpretatio aliquid fundamenti ex ipsis libris mscr. accipere videtur. In versu 27 enim, ubi plerique editores proponunt »Catullo« (e codd. D, c[1]), d[2]) et edit. princ.), optimi libri (OG[M]) exhibent »Catulle«, quod ad allocutionem directam a Mallio factam accommodatum est et a Santenio Munroneque (p. 170 sq.) comprobatur. Accedit, quod in v. 29 in cod. Veron. lectum esse videtur: »tepefacit«. Utcunque autem se habuit prisca veraque lectio (— lbb. mss. exhibent: »tepefacit al tepefactat« M et La3[3]), »tepefacit« OG, »tepefactat« D, »tepefecit« H, »tepefacta« La2 —), ex ipsis codicibus potius verbi indicativum quam coniunctivum emendatione inducendum (»tepefacsit« Lachm., »tepefactet« Bergk.) proponas. Sed quamquam Palladi opinio manuscriptis quodammodo adiuvatur, tamen sensu ipso repudianda est (Hoerschelm. p. 10). Num enim probabile esse putas amicum, praesertim supplicantem, amico exaggeratione utique ridicula scripsisse: »omnes (Romae!) nobiliores cum amata tua moechantur«?

[1]) cod. in mus. Brit. 11,674.
[2]) Burneianus in mus. Brit. 133.
[3]) cod. bibl. Laur. III.

Quomodo porro sollemnis vocis »tepefaciendi« notio, qua aliquis frigidus sensim calidus fieri dicitur, ad sescentos adulteros quos potius flagrantissimos amore fuisse cogites, convenit? Catullum denique eiusmodi nuntio nil respondisse nisi »id miserum est« quis est, qui credat (cf. Hoerschelm. p. 10 annot.)? Praeterea Palladii opinio falsa de Malli domicilio sententia nititur, quod neque Romae neque, ut alii voluerunt, Baiis fuisse postea demonstrabo (cf. pg. 47/48). Neque, quae de Lesbiae (— haec enim in vv. 27—30 tractaretur! —) amoris condicionibus temporibusque aliunde novimus, cum illa interpretatione congruunt. Itaque propositum Palladianum aeque atque omnia, quae inde exordiuntur, reiciendum abolendumque esse censeo. Occurrit quidem in multis editionibus commentariisque (novissime apud B. Schmidtium proll. p. XI) atque propter opinionum commenta, quae per illam interpretationem facillime admittuntur, haud ita celeriter evanescet.

Altera explanatio Palladianae contraria Parthenii (ed. 1486) est, cui assenserunt Hauptius (cf. Belger. p. 247), Weisius (pr. 1869 p. 10 et 14), Westphalius (p. 69), Schoellius (p. 471), Magnus (»Zeitschr. f. d. G. W.« 1878 p. 496), Weberus (p. 108/9), Harneckerus (p. 6), Riesius (p. 223), Baehrensius (in comm. ad v. 27), Skutschius (»Rh. Mus.« 1892 p. 146). Hic enim illum locum orationem obliquam esse declaravit, ut explicaret: ».. scribis Veronae esse (= versari)[1] turpe Catullo (sc. »esse«), quod hic (Veronae!) quivis d. m. n. fr. deserto (= vacuo) tepefacta[e]t m. cub.«. Forma autem »Catullo« e min. mscr. facile pro voce »Catulle« optimis libris exhibita restituitur, quia propter »salebrosam«[2]) codicis V scripturam saepissime in eius exemplaribus praestantissimis (G et O) litterae »e« et »o« confunduntur.[3]) Indicativum autem verbi in enuntiato causali (»tepef – ?«) utique in modum coniunctivum mutari mihi quidem non necesse esse videtur, quia Catullus amici dictis: Veronenses oppidanos morosos esse, ita assentiri potuit, ut verba »quod .. cubili« tamquam e sua ipsius sententia diceret atque sic rem vere ita se habere affirmaret. Sed etiam coniunctivus ad Parthenii interpretationem aptus est.[4])

[1]) cf. ad haec verbi »esse« usum Cic. Ep. ad Quint. fratr. I/2: »Plato quidem, qui Athenis solet esse multum«; Prop. I/8/27: »hic erit, hic iurata manet«.

[2]) cf. quod scriba codicis G in fine libri addidit.

[3]) vide Schulzium in »Hermes« XXIII p. 569 sqq.
cf. Cat. c. VI/9; LV/22; LXIV/165; 285 etc. etc.

[4]) Ipse Lachmanni emendationem »tepefacsit« praefero, quia meliorem lectionem non novi.

Sensus vero explicationis Parthenianae simplex clarusque est. Mallius enim suorum ipsius optatorum causa ad amatorias Catulli propensiones provocans amicum monuerat, quam illepidum inelegansque esset Veronae morari, ubi libidinibus indulgere nequiret. Nam in hoc Galliae Cisalpinae oppido prisci mores etiam valuisse videntur, qui iuvenibus licentiosis, quales Caesaris aetate vivebant, incommodi et ridiculi erant. Quod autem Catullus, quem suorum temporum luxuriae deditum fuisse constat, illo loco diutius versaretur, id »turpe« esse Mallius scripserat. Sed poëta respondit non »turpe«, sed »miserum« esse. Concedit ergo Veronam sibi non aptam esse, verum cum non ipsius voluntate, sed tristi fortuna coactus ibidem manserit, crimen »turpitudinis« refutandum esse putat. — Quodsi Parthenii sententiam per singula verba versuum 27—30 examinamus, uniuscuiusque vocis notionem optime expressam esse intellegimus. Primum Veronenses amoribus carentes solitarios esse (»deserto« cf. p. 21) legimus atque in lecto »deserto« vix frigus depellere posse (»tepefacere« cf. p. 40), quae sententia saepius apud poëtas amatorios occurrit, cf. Ov. A. A. III/70: »Frigida deserta nocte iacebis anus«; Ov. Her. I/7: »Non ego deserto iacuissem frigida lecto«; Ov. Am. III/5/42; Tib. I/8/39; Prop. II/17/3, IV/7/6. Pronomen »hic« porro simplici modo et qui assentienti Catulli sensui respondeat, ad praecedentem vocem »Veronae« referendum est.[1]) — Vox »deserto« denique per se absoluta legitur, ut in v. 6 (cf. pg. 23). Nam cogitatione »a te« addi, quod voluerunt Palladiani, longius abest.

Praeter principales autem Parthenii Palladiique interpretationes duae aliae inveniuntur, quae a singulis viris doctis defendebantur, sed propter ipsam mirabilitatem dignae sunt, quae proponantur: dico Birtii et Jowetti opiniones.

Ille quidem a Parthenii sententia profectus vocem »Veronae« (p. 11 sq.) cum »turpe esse« coniunxit atque voluit enuntiatum causale (»quod — cubili«) per orationem directam secundum Malli epistolium proferri. Legit igitur: »quod scribis Veronae turpe esse Catullo (= Veronae Catullo crimini verti), »quod hic (Veronae!) q. d. m. n. fr. d. tepefactat membra cubili««. Hunc autem sensum verbis subdidit: Mallium, qui Veronae (!) versaretur, Catullo tum in Sabino vel Tiburtino (XXXXIIII/2) moranti scripsisse Veronae ei crimini dari, quod nobiles iuvenes Veronenses sine puellis essent. Birtius ergo Catullum finxit officio obstrictum, ut lascivis patriae suae iuvenibus scortilla

[1]) cf. Weisium pr. 1869 p. 10; Eichlerum; Magnum in »Z. f. d. G.-W.« 1878 p. 496 et 504; Baehrensium in »Anal. Cat.« p. 9; Weberum p. 108.

mitteret. Hanc autem sententiam monstruosissimam esse iam indicavi (p. 32). Cui etiam grammaticae et logicae rationes obstant. Sonnyus enim (in »Woch. f. kl. Ph.« VIII p. 53/4) demonstravit coniunctionem orationis obliquae et rectae, qualem Birtius proposuisset, cum orationem rectam in enuntiato causali, quod ab accus. cum inf. penderet, statuere vellet, sermoni Latino minime respondere. Adde, quod (cf. Skutschium p. 146) verbis »Veronae turpe est« non idem significari potest atque »Veronae crimini datur«. Nam »res per se ipsam aut turpis aut honesta dicitur; hoc autem pronuntiatum casu locativo artius ita circumscribi non potest, ut aliquid hic turpe, illic decorum esse videatur«. — Sed plurima adversus Birti opinionem de domiciliis Malli et Catulli afferri possunt. Nam si Veronae habitabat Mallius, qui ei ignotum esse potuit poëtae fratrem vita decessisse, cum patria Catulli domus in illo oppido esset? Quomodo deinde Catullus Malli Veronensis »hospitio« uti necesse habuit, ut Birtius (p. 12) putabat? Praeterea ille e villa Tiburtina plurimas puellas Veronam mittere, quot Catullum ex urbe Roma illuc transportare solitum esse Birtius voluit, minime potuit. Cur autem, si ob hoc ipsum Mallio Veronensibusque officium praestare nequivit, non simpliciter domicilium mutatum in excusationem protulit poeta, sed fratris mortem? Haec puto argumenta ad refutandas Birtii opiniones satis esse. —

Breviter de Jowetti interpretatione locuturus sum, quam Ellisius (in comm. ad v. 27 et in appendice p. 344) vulgavit. Jowettius enim Mallium Baiis fuisse opinans sic de illo loco disseruit: »It is disgraceful to you, Catullus, to be at Verona, because everybody of any fashion has been here (at Bajae) giving up his bed and warming his chilly limbs (in a hot bath)«! Contra quam opinionem primum notandum est, quod sententia: elegantem iuvenem Catulli instar decere tempestive in claris Baiarum aquis delectari, mirum in modum a Mallio conversa esset, si diceret: Veronae versari poëtae turpe esse, quod alii nobiles frigore coacti essent membra tepefacere. Porro non intellego, quomodo Baiis, in regione fervida, cuiusvis membra, praesertim cum lectum deseruerit, tam frigida esse potuerint, ut ea calidis aquis »tepida (!)« reddere opus esset. Ceterum Baiarum cogitatio ipsa memoria Lesbiae-Clodiae, quam saepe ibi versatam esse scimus, orta est. Sed Lesbiae in vv. 1—40 carminis LXVIII ne uno quidem verbo mentio facta est. — Mirabilissimum Jowetti propositum exemplo est, quot et quam alienae sententiae per imaginationes in carmen LXVIII inferri possint, nisi uniuscuiusque vocis notionem penitus perspicias. —

Omnium interpretationum igitur solam Parthenii sequendam esse censeo. Qua una versibus 27—30 momentum additur, quo relatio cum ceteris quae et quam gravis sit, intellegatur. Vidimus enim in vv. 19 et 25/6 Catullum in universum omnia amorum gaudia propter malas animi condiciones se aversari dixisse. Ideo autem (»quare«), poeta pergit, se quod amicus rogavisset: ut Verona tristi decederet et amorum suscipiendorum causa ad se veniret, praestare non posse. Ut autem vv. 27—30 ad illa »Veneris munera« (v. 10) referendi sint, in p. 34 disserui. — Catulli igitur responsa (vv. 15—30) a generali ad speciale progredi videntur. Quare vv. 27—30 gravissimos esse manifestum fit, atque falso Riesium (p. 221) eos annotationis parvae praeter cetera factae vice fungentes fecisse iam Hoerschelmannus (p. 9/10) et Sonnyus (p. 54) senserunt. Nam illis verbis poëta se ea ipsa, quae amicus flagitaverat, »munera Veneris« negare debere pronuntiat, cum crimen a Mallio factum reicit. Verisimile autem est amicum in epistolio hanc ipsam partem, qua Catulli libidines adiit, inprimis protulisse, ut, cur poëta respondens eandem praecipue respexerit, facile sit intellectu. Verum nonnulli viri docti eo offensi sunt, quod in Malli, quem tristissimum finxerant, epistolio tam lasciva verba occurrunt (cf. Magnum in »Zeitsch. f. d. G.-W.« 1878 p. 497; M. Schmidtium p. 782: »Stimmungswechsel«). Sed si reputaverimus Catulli amicum (vv. 5/6) per amoris gaudia se somnum adducturum esse sperare, illis versibus 27—30, quibus poëta, quod Veronae maneat, vituperatur, animum Malli subito mutatum indicari non proponemus, praesertim cum verba »quare—cubili« ad precem ipsam referenda sint. Certe quidem Malli mentem non severam strenuamque fuisse credas. Quem, quod ad mores pertinet, cum Catullo ipso conferre possumus. —

Tota igitur illa pars versuum 15—32, qua ad »Veneris munera« petita poëta respondet, optime disposita esse videtur. Versibus 15—19 enim Catullus sibi studia amatoria fratris morte exstincta esse declarat; hunc ipsum fortunae casum separatim in vv. 20—24 queritur; in vv. 25/26 repetit illo infortunio omnes propensiones ad voluptatem amoris spectantes evanuisse; itaque (vv. 27—30) se Veronae, in oppido moroso, mansurum esse. His autem dictis, quae Mallius rogaverat »Veneris munera«, certe denegata sunt. Quod poëta in fine clare pronuntiat veniam petendo, quod optata negaverit, cum ad talia dona danda aptus non esset (vv. 31/32); »haec .. munera« ergo »Veneris munera« intellegenda esse apparet (cf. Harneck. p. 7; Skutschium p. 147). Sed nonnulli commentatores (Kiessling. p. 15; M. Schmidtius p. 783/4; Baehrens. in »Fleck.

J.-B.« 1877 p. 409 et in comm. ad v. 32), inprimis ei, qui in v. 10 unum munerum genus denotari arbitrati erant, »haec — munera« (v. 32) ad munera »et Musarum et Veneris« referenda esse voluerunt. Sed ubi in versibus 15—30, ad quos vv. 31/32 manifesto pertinent (cf. »igitur« . . . »haec«), quidquam de »Musis« dicitur? Inducitur dea Venus ipsa, proferuntur proximis partibus (vv. 27—30) verae amoris res, — sed nusquam »Musarum« commemoratio fit, ne una quidem syllaba! E plurativo autem numero »munera« (v. 32) concludi non potest duo munera (aut unius muneris naturam duplicem) indicari (cf. M. Schmidtium p. 784), quod iam in v. 10 utrumque optatum per pluralem exhibetur (»munera Veneris«). Ceterum in vv. 31/2 legitur Catullum ea munera, quae ipsi »luctus ademit«, i. e. amoris gaudia, praebere non posse. Quo enim carminis LXVIII loco sententia, e qua poëtam prae tristitia carmina fingere nequisse existimes, invenitur? Quam temere commentatores e carmine LXV in hoc poëma transferebant. Verum Mallius Catulli elegia tantum comperit amorosas amici propensiones maestitia oppressas esse. Quae autem sententiarum conturbatio inducta »Musarum« cogitatione in vv. 15—32 exstiterit, Schulzii (diss. p. 19) explanatione apparet, qui poëtam cum Mallio communicantem facit: studium carminum ludicrorum (vv. 19 et 25/6) fratris obitu expulsum esse; itaque (!) se neque res amatorias agere (vv. 27—30) neque (»igitur« v. 31!) poëmata amabilia componere velle (vv. 31/2). —

Quamobrem iterum statuendum est versibus 15—32 (— praeter vv. 20—24 scilicet —) nihil nisi vera amoris gaudia tractata esse. Illis enim enuntiatis Catullus »munera Veneris« praestare omnino recusavit. —

Atque alterum petitum ad »munera Musarum« pertinens in sequentibus carminis partibus tractatum iri quis est quin exspectet, praesertim cum voce »haec« in initio versus 32 magno cum momento posita aliorum quoque donorum mentionem fore promittatur? Quam exspectationem versibus 33—36 expleri equidem existimo. Nam etsi Catullus non ipse amicum convenire et ad amores incitare potuit, tamen carmina flagitata Mallio in solamen mittere potis erat. Ad hanc autem causam poëta verbis »nam quod« transgreditur, quae per ellipsin intellegenda esse iam P. Weidenbachius (p. 33 sq.), Munro (p. 175), Schulzius (diss. p. 20 sq.), Harneckerus (p. 9), Hoerschelmannus (p. 14) scite proposuerunt. Sententia enim alterum genus munerum respiciens, quam vocula »haec« excitari necesse est, ipsa non legitur, sed tacite proposita est, cum statim eiusdem causarum tractatio incipiat. In hoc ergo versu ita fere perfectus argumentorum connexus integrari potest:

»Veneris munera tibi praebere nequeo (v. 32); [etiam Musarum munera malo loco sunt]; nam quod pauca tantum scripta mecum fero . . .«. Haudquaquam autem necesse est, ut in praecedentibus verbis »haec . . munera« (v. 32) praeter Veneris etiam Musarum munera subaudiantur, quod voluerunt Weisius (pr. 1869 p. 14) Birtiusque (p. 13). Illud »nam« enim non ad ipsius versus 32 argumenta et verba spectat, sed ad sententiam inde ortam taciteque interiectam. Simile autem exemplum apud Ovidium reperitur in Met. VIII/531, ubi Meleagri parentis luctus de filii morte sic depingitur:

»Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Foedat humi fusus, spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas acto per viscera ferro«.

Hic enim, postquam patris dolor tractatus est, matris condiciones disseruntur, quae pars, cum superiore nullo modo coniuncta, vocula »nam« ad sententiam taciturnam refertur: »ita pater; [sed etiam mater filii morte non gavisa est]; nam . . .«. Cf. Ov. Met. VI/270 sq.[1]).

Quid autem Catullus in vv. 33—36 de »Musarum muneribus« pronuntiavit? Dolet, quod pauca modo scripta secum habeat, cum suetum ipsius domicilium Romae sit. Minime ergo sibi nulla scripta praesto esse dicit (cf. Kiessling. p. 15. Hoerschelm. p. 14). Atque fieri non potest, quin, cum nihil aliud legatur, Catullum, quantum habuit scriptorum, i. e. unam illam capsulam, amico re vera tribuisse credamus. Cui Skutschius (p. 148/9) opposuit argumentum unam capsulam Catullum mittere non potuisse, cum ea utique ipsi opus esset. Sed unde hoc compertum habeat Skutschius nescio, quia in carmine LXVIII ipso talis sententia non indicatur. Etiam altera obiectio: unam capsulam longo amici insomnio delectando non satis fuisse, minimi est. Nam poëta, etsi non multa amico infelici praebere potuit, tamen, quantum potuit, ei dare debebat, aut, cur illa pauca quoque negavisset, declarare. Hoc autem non fecit, cum nil nisi quod sibi non multa scripta essent proferret. Itaque vv. 33—36 ad munerum exiguitatem pertinere mihi videntur. Si vero Catullus etiam unam, quam possidebat, capsulam, tribuere noluit, id, postquam illam adesse prodidit, aptis causis excusare debuit. Quare concludendum est poëtam amico parvam copiam scriptorum, quam habebat, dedisse. Illi autem opinioni etiam »munera Musarum« Mallio omnino denegata esse, simplex verborum interpretatio officit. — Quae autem scripta

[1]) Hisce exemplis H. Monsi (p. 16/7) coniecturam »iam quod« supervacuam esse demonstratur.

in illa capsula fuerint, nescimus, cum aut Catulli ipsius aut aliorum poëmata sagire liceat. Sed certum est recentiora opera, qualia Mallius optaverat (cf. p. 31), fuisse.

Qui autem falso ipsis versibus 15—32 duas preces prorsus recusatas esse existimabant, succedentem partem (33—36) diversis modis explanaverunt:

1. Vulpius primum (ed. p. 392) arbitratus est Catullum versibus 33—36 prius dicta: se versiculos amatorios mittere non posse, in finem tamquam nova causa fulcire voluisse, cum contenderet sibi omnes libros deesse, quibus ad carmina illa pangenda indigeret. Videtur ergo Vulpius putavisse Catullo ad compositionem versuum, »quibus Manlius amicam placare posset«, immenso librorum apparatu opus fuisse.

2. Alii deinde vv. 33-36 ad libros e bibliotheca Catulli, quos Mallius praeter carmina amatoria in v. 10 petita requisivisset, referebant (ita A. Weisius pr. 1863 p. 4, Westphalius p. 69/70, Munro p. 175, Ellis. in comm. p. 325 ad v. 33).

3. Riesius denique (p. 224)[1]) Catullum per versus 15—32 »munera et Musarum et Veneris« negavisse censuit, i. e. propria nova carmina amico componenda. Quia autem Mallius tum vetustiora carmina vel Catulli vel aliorum »νεωτέρων« petere potuit, poëtam versibus 33—36, cum haec quoque se deficere pronuntiaret, talis flagitationis occasionem a principio abscidisse. At praeterquam quod recentiora poëmata Catulli a vetustioribus quibusdam illis ipsis versibus nusquam clare distinguuntur, perperam a Riesio propositum est Mallium rogavisse, ut poëta sibi propria nova poëmata pangeret (cf. pg. 32).

Illi autem, qui recte in vv. 15—32 sola »munera Veneris« tractari declaraverant, sed erraverant, cum ea carmina amatoria esse vellent, coacti sunt, ut vv. 33—36 ad preces Malli de »muneribus Musarum« i. e. de carminibus doctis factas respondere animum inducerent. Sed ipsa voce »scriptorum« (v. 33) minime docta poëmata designari constat. Atque cum sic Catullus in vv. 15—32 carmina etiam componenda recusare existimetur, quia ea sola fratis morte excusari possunt, mirum in modum opponuntur poëmata lascivi generis dehinc pangenda doctis elegiis, quas antea iam perfectas esse Romae urbis mentione exhibetur. Quas sententias omnes simul in vocibus »munera et Musarum et Veneris« (v. 10) abditas esse mihi quidem non persuadetur.

Perinde autem non admittendum est propositum eorum, qui putant Catullum, cum in vv. 15—32 parvas nugas amico componendas recusaverit, tum in vv. 33—36 artificiosa,

---

[1]) Id etiam H. Monsio (p. 15) probatur.

quae etiam pangere debuit, poëmata se daturum esse negare dicentem sibi libros ad opus doctissimum Veronae deesse. Mallium enim non modo lascivos versus amoris, sed etiam ut poëta tenebrosa epyllia sibi componeret (velut e Graecis carminibus expressa) optasse incredibile mihi esse videtur (cf. p. 30/31). Nam certe Mallius, si vere ita se res habuisset, eorum dumtaxat scriptorum, quae illi uni capsulae inerant, poëticam translationem vel tractationem exspectare potuit. — Quibus omnibus consideratis vv. 33—36 ad »munera Musarum« pertinere obtineo. Neque omnino ea poëta negat, sed exiguitatem tantum eorum, quae praebuit, excusat.

Hoc autem loco, etsi aliquantum a proposita rerum tractandarum serie declinat, quaestionem liceat inserere, ubinam tum, cum carminis LXVIII vv. 1—40 scripti sunt, Catullus et Mallius morati sint. Illum quidem Veronae fuisse e versibus 27 sqq. facillime cognosci potest (cf. B. Schmidtium proll. p. XXIV). Cur autem a sollemni domicilio, Roma (v. 34), in patriam reverterit, nobis ignotum est; sed opineris hunc reditum ad fratris mortem referendum esse (ita Haupt. ap. Belg. p. 246/7; B. Schmidt. p. XI; Ribbeck. »Cat.« p. 35, qui Schwabii imaginationes de discordia inter Catullum Lesbiamque orta bene refellit; cf. etiam »G. d. r. D.« I p. 320; Monsius p. 14). Ubi autem, quaeso, Mallius tum versatus est? Veronae enim, quod Ramlerus (p. 314) putavit, eum non fuisse e carminis argumentis — velut e morte fratris Catulli recens[1]) nuntiato — elucet. Multi quidem (iam Vulpius p. 389/391) illum Romae habitavisse voluerunt. Constat autem Catullum, si Mallius in urbe fuisset, non nude scriptorum, quae Romae reliquisset, inopiam in excusationem adhibiturum, sed, ut decuit, amico occasionem daturum fuisse, ut ipse sibi opera flagitata e Catulli bibliotheca Romana promeret (cf. Weisium pr. 1869 p. 11). Deinde etiam poëta non necesse habuit amicum certiorem facere, se Romae suetam sedem habere neque omnes res suas inde Veronam transtulisse, quia ille ipse urbanus ea iam scire potuit. Praeterea hoc casu potius voculae »ista — istic« (v. 35) quam »illa — illic« posita essent. — Verum e precibus Malli apparet eius domicilium haudquaquam procul a Verona fuisse (Weisius pr. 1869 p. 11), quod celere auxilium praesentium malorum certe

---

[1]) Monsius (p. 14/15) Mallium de morte fratris Catulli iam antea certiorem factum esse putat atque in hoc carmine a poëta in memoriam tantum calamitatis iam notae reduci. At haec opinio verbis claris: (v. 11) »sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Malli« confestim refellitur.

non e longinquo petivisset. Neque vox »hospitis«[1]) (v. 12) neglegenda est. Nam in urbe Roma ipsa Catullo hospes non magis opus erat quam Mallio, si hic re vera ibi versabatur. Utique igitur observandum est neque Mallium in Catulli neque Catullum in Malli patria diutius sedem habuisse. Mihi quidem amicus in Galliae Cisalpinae oppido haud ita parvo[2]) habitasse videtur (cf. Sonnyum p. 53 sq.). Nam si minimum fuisset, non video, quomodo ille Catullo crimini dare potuerit, quod Veronae, in oppidulo prisco, domicilium teneret, atque ideo poëtam ad voluptates ad se invitare. Ex hac ipsa causa autem non credo Mallium, qui Romae vivere solebat, tum in praedio moratum esse (ita Weisius l. c. p. 11). Ut enim in villa cum Catullo varios novos amores suscipere potuit? — Quod denique de Baiis fabulatus est Munro (— Jowettium relinquo; cf. p. 42 —), nullo firmo argumento nititur. Nam a vv. 27—30 e Palladii opinione declaratis ille profectus est atque perverse id inprimis respiciebat, quod Lesbia-Clodia saepe Baiis lasciviae indulsisse traditur. Sed toto carmine LXVIII[a] ne commemoratum quidem Lesbiae amorem esse iam disserui (p. 42). Ceterum non credo Mallium Baiis Veronam in spatium D fere milium passuum levaminum celeriter petendorum causa litteras misisse. —

His extrinsecus expositis nunc ad carminis finem interpretandum transgrediamur. Ubi nova rixarum causa exstitit, cum de verbis »non utriusque« (v. 39) viri docti valde dissentirent. Catullus enim dicit, cum talia de muneribus et Musarum et Veneris responderit, amicum tamen se non malignum iudicare debere, quod »non utriusque« copiam praebuerit.

Et altera quidem commentatorum pars (Muretus, Hauptius ap. Belg. p. 247, Weisius pr. 1863 p. 4/5, Magnus in »Fl. J.-B.« 1875 p. 851, Baehrensius in comm. ad v. 39, Fennerus p. 26) arbitrati sunt verba

»non utriusque« = »neutrius«

percipienda esse, quam opinionem Birtius (in »Rhein. Mus.« XXXIV p. 5 et in comm. p. 14/5) sermonis exemplis stabilire studebat. Putabat enim, ut a poëtis gravi cum momento »non ullo« pro »nullo« diceretur, ita etiam Catullo pro voce »neutrius« — quia neque »necuter« (quod in C. J. L. VI/1527 tantum occurrit) neque »non uter« adhiberi posset — per tmesin vocem »non utriusque« usurpare licuisse. Sed quos ille attulerit locos, debilissimos esse iam Skutschius (in »Rh. M.« XXXXVII

[1]) Qua Catullum per vivum iuris morisque sensum usum esse illo graviter addito »officium« demonstratur.

[2]) Nominare licet Bononiam vel Patavium.

p. 145) demonstrat, quod aut corrupti sint (ita Hyg. de limit. p. 109/1: »ut ne ab utroque possessore tangatur«) aut negationem ante ipsum praedicatum positam exhibeant (sic apud Plin. N. H. II/48: »stati autem atque menstrui non sunt utriusque defectus propter obliquitatem signiferi«) aut negationem, quae ad praedicatum referenda sit, voculis »et« vel »ut« ita attractam producant, ut »ne« et »neque« legatur (cf. Anthol. lat. (Baehr.) 149/14: »Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyaeum, ne te muneribus laedat uterque suis« et Ascon. in Milonian. 30: »nec utriusque[1]) consilio pugnatum esse eo die«). Itaque Birtii exemplis non commoveor, ut »non utriusque« = »neutrius« esse credam.

Riesius quidem in comm. p. 224 censuit »non« ad verba »praesto est« pertinere eisque coniungendum esse, cum Catullus saepius negationem ita a voce neganda secerneret, ut illam pronomini cuidam praeponeret. Sed diligentissima omnium locorum exploratione Hoerschelmannus (p. 15—17) invenit Catullum illa seiunctione tum demum usum esse, cum graviter negationem premere volebat, atque ita eam distinxisse, ut vocem »non« in versus initio poneret. At hoc loco neque vocula »non« in versus principio legitur neque in oratione inprimis excellit, cum Catullus potius habuerit, cur leniter modesteque illam negationem proferret.

Itaque hic, ut alibi, vocem »non« ante ipsum verbum negandum positam esse suo iure Hoerschelmannus Kiesslingium (p. 15) secutus confirmavit ita, ut sensus sit:

»non utriusque« = »alterutrius tantum«[2]).

Non omnia ergo se negavisse, sed alterum modo munus poëta pronuntiat (cf. Schoell. p. 471, Magn. in »Z. f. d. G.-W.« 1878 p. 497, M. Schmidt. p. 783, Weber. p. 111, Skutsch. p. 145 sq., qui optimo iure attulit Ov. A. A. II/683).

Hanc autem explicationem etiam ad responsa poëtae in vv. 15—26 indicata optime convenire videbimus, si, quid verbis »non utriusque« respiciatur, cognoverimus. De qua causa hae sententiae exstant principales:

I. »Non utriusque« ad v. 10: »munera et Musarum et Veneris« pertinere (ita Parthenius, Doering. p. 141, Weisius pr. 1869 p. 9, Westphal. p. 72, Schoell. p. 471, Schulzius in diss. p. 19 sqq; Magnus in »Fl. Jahrb.« 1875 p. 851, Skutsch. p. 146, Harneck. p. 7). Etiam Baehrensius,

[1]) Editiones recentiores hic habent: »neutrius«.

[2]) H. Monsius (p. 16) hoc recte a Hoerschelmanno inventum et statutum esse concedit, sed nihilominus »non utriusque« = »neutrius« esse obtinet, quia hunc vocis sensum praecedentibus carminis partibus necessarium fieri (?) arbitratur. Cf. Hermis opinionem p. 51!

qui, cum versu decimo unum carmen et doctum et amatorium denotari declaravisset, vv. 15—32 ad illud »amatorium«, vv. 33—36 autem ad illud »doctum« referebat, ad versus 10 argumenta vocem »non utriusque« spectare voluit (in »Fl. J.-B.« 1877 p. 409 sqq.). Qui autem verbum »utriusque« cum illa unius carminis sententia coniungeretur non liquere Magnus monuit in »Z. f. d. G.-W.« 1878 p. 496/7 ann. 3. —

II. Altera deinde opinio est vocem »non utriusque« ad v. 10 **et** ad vv. 33—36 referendam esse, cum complectatur

»munera et Musarum et Veneris« + scripta alia,
v. 10 + vv. 33—36

sive munera et Mus. et Ven. = carmina amatoria, »scripta« autem = c. docta intelleguntur (cf. pg. 30 et 46), sive illa nova Catulli carmina esse dicuntur, haec eiusdem vetustiora (cf. pg. 46), sive altera Catulli ipsius carmina, altera libri poëmatum ex eius bibliotheca.

III. M. Schmidtius (»Fleck. J.-B.« 1880 p. 782/4) denique verba »non utriusque« ad versus 33—36 solos pertinere censuit atque duos certos libellos (»zwei Broschüren«), quos Mallius a Catullo praeter carmen elegiacum (v. 10) in postscripto[1]) petivisset, designari voluit. Itaque ad vocem »non utriusque« e praecedentibus versibus tacita cogitatione genetivum »scripti« addidit. Putabat vero poëtam in vv. 33—40 parvam bibliothecae itinerariae copiam excusare, ubi alter modo libellorum reperiri posset. Sed praeter id falsum, quod M. Schmidtius »haec munera« (v. 32) ad omnia munera ante requisita refert (»das eigentliche Verlangen ist abgeschlossen«), etiam mireris, cur Catullus tam diligenter (cf. v. 37: »nolim . . . mente maligna — non satis ingenuo« v. 38) se defenderit propter unum libellum deficientem haud ita gravis momenti, cum in causa praecipua deneganda parcius excusationibus uteretur.

Itaque aeque atque opiniones sub II. indicatae, Schmidtii sententia respuenda est. Illud »non utriusque« autem ad nihil aliud spectare nisi ad versum decimum manifestum est. Catullus enim non utrumque[2]), et Veneris et Musarum munera, praestare potuit, sed alterutrum tantum, i. e. munera Musarum, quorum exiguitatem versibus 33—36 defendere studuit.

[1]) Haec fere dicit (p. 788): »Allius will sich die Langeweile schliesslich doch durch Lektüre vertreiben, . . will offenbar etwas Pikantes aus der neueren Unterhaltungslitteratur.«

[2]) »utriusque« genetivus generis neutrius est. Quare nullum substantivum supplere opus est, minime »muneris«, cum antea utique pluralis numerus »munera« adhibitus sit.

Vidimus autem per totum carmen LXVIII^a (vv. 1—40) utique binas partes cognoscendas esse: bina enim sunt amici incommoda (vv. 5/6 et 7/8), binae preces (v. 10), bina responsa (vv. 15—32 et 33—36). Atque hanc bipartitionem argumentorum denique **vox** »utriusque« (v. 39) respicit (cf. Hoersch. p. 17/8; Birt. p. 13 et 16; Sonny. in »Wochschr. f. kl. Phil.« VIII. p. 53 sq.). Commemorare etiam lubet Fr. Hermem (in pr. 1888 p. 14), cum in falsa antecedentium partium declaratione se obstinaret (— »weil Catull mit v. 32 alles abgelehnt hat (?), kann »non utriusque« nicht „nur eins von beiden" sein« : quod autem Hermes hunc ipsum sensum efficere volebat, coniecturas proposuit, cf. »Wochschr. f. kl. Phil.« IX p. 167 —), emendationes[1]) versus 39 commendavisse, primum »penite usque petenti«, deinde »ulla usque«. Talem autem mutationem, qua quis contra omnium codicum auctoritatem temere suam ipsius opinionem poëtae verbis inculcare vult, non possum non refutare (cf. Erdmannum in »Wochschr. f. kl. Phil.« 1888 p. 1403 et Skutschium in »Rh. M.« 1892 p. 145).

Catullus igitur ipsius excusationes in versibus 37—39 complexus amicum orat, ne falsam de se existimationem habeat, quod alterutrum modo, i. e. poëmata in illa capsula condita, mittat.

Atque nunc etiam, quid sibi velint vv. 11—14, intellegimus. Quibus amicus monetur, ne porro »dona beata« a Catullo poscat. Haec autem verba mihi ad »munera Veneris« sola pertinere videntur, quae in versibus continuo succedentibus (15—32) tractantur. Nam Catullus. quod docui, non habuit, cur »munera Musarum« in posterum a se peti nollet, praesertim cum non modo unam capsulam tribueret, sed etiam ipsa responsa per versus daret. Sed amorum voluptatumque studium ei in futurum omnino exstinctum esse videbatur, ut iuste amico suadere posset, ne amplius precibus frustra operam daret, quibus Catullum, ut ad se veniret et lasciviae se dederet, movere conaretur. Verum minime dona beata ad carmina referenda sunt, quod proponebant Vulpius p. 389 et Weisius pr. 1869 p. 9 et Doeringius p. 140. Nam de carminibus versu tricesimo tertio demum poëta loquitur. Rectius etiam verba versus 14 ad ambo munera simul spectare existimares. Sed cur Mallius tam gravem Catulli repulsam ab ipso principio tulerit, tum demum intellegimus, cum relationem inter »dona beata«[2]) et »Veneris

[1]) Jam Heinsium proposuisse, ut in v. 39 scriberetur: »quod tibi non prius usque petenti«, Santenius (ad v. cit.) monet.

[2]) Ut his verbis ipsis non larga dona (exemplo Weisii pr. 1869 p. 9 et Kiesslingii p. 15 sq.) significari persuasum habeam, sed dona, qualia beati praebent (ita Vulpius p. 389, Doeringius p. 140, Baehr. ad v. 15), contraria voce »misero« adducor.

»munera« prorsus negata intercedentem cognovimus. Hoc enim amici petitum potissimum erat. Ceterum si »dona beata« illa »Veneris munera« designare accipimus, optime versus 15 sqq. adiunguntur. Eos, cum nulla coniunctione apti sint, artissime cum praecedentibus coniunctos esse apparet.

Si postremo brevi commentario carminis LXVIII^{a} (vv. 1—40) argumenta relationesque componere conamur, haec effici videmus:

Catullus, qui propter fratris mortem fortasse in patriam Veronam redierat, inde versibus 1—40 carminis LXVIII respondet litterulis[1] amici Malli, qui in vicino Galliae Cisalpinae oppido habitabat. Is enim gravi casu adverso afflictus Catullo scripserat, ut eo adiuvante malas condiciones, in quibus tum versabatur, eluctaretur. Querebatur ergo apud poëtam sibi somnum deesse, quem neque Veneris gaudiis adducere posset, quia se eorum in praesens taederet, atque insomnia se levare non posse, cum veteres poëtae, qui soli sibi essent, odio iam fierent. Itaque Catullum oravit, ut sibi et »munera Veneris« et »munera Musarum« vindicaret, i. e. 1) ut ad se veniret Verona, quod oppidulum severissimum laeto poëtae animo ex ipso non posset placere, seque ad novos incitaret amores, et 2) ut secum afferret nova ipsius aliorumque poëmata. Cui respondet Catullus: 1) sibi fratris morte contristato nullam in »studiis« amoris voluptatem esse ideoque se potius Veronae morari; et 2) quod poëmata attineat, se parvam tantum copiam secum habere, quia alia Romae remanserint. Ignoscat ergo, cum ita se res habeat, amicus, si non utrumque, sed alterutrum modo, poëmata illius unius capsulae, oranti mittat. Si enim posset, se sua sponte[2]) optata Mallio delaturum fuisse.

---

[1]) Veri simillimum est Malli epistolium versibus conscriptum fuisse (Munro p. 170, Birt. p. 3/4). Hic enim mos erat inter Catulli amicos (cf. c. XXXVIII). Quo etiam declaratur, cur Catullus tristis, ut dura litterarum privatarum argumenta versibus tractaret, operam dederit. Sed poëta ex amici schedula quaedam e verbis exaravisse non credo, etsi fortasse nonnunquam illius voces respexit.

[2]) Ne tollere studueris verba graviter opposita: »petenti — ultro«! Ea enim optime illo Horatiano (Ep. I/12/22): »si quid petet, ultro defer« sustentantur. Itaque neque »petite« coniciendum est (Parthenius) neque »ultro« in »ultra« immutandum (M. Schmidt. p. 784/5).

VI. De carminis LXVIII compositione.

Utrum carmen duodeseptuagesimum unum existimandum sit necne, inde a Rodii Ramlerique temporibus prima inter quaestiones criticas, quibus argumenta poëmatis tractabantur, erat. Mireris autem, quod in hac re diiudicanda non statim ipsorum versuum 1—40 verbis diligenter interpretandis, ut par fuit, animum adverterunt, sed maluerunt numerum quendam singularium causarum, quibus cuique aut disiunctio aut coniunctio carminum probabilis esse videretur, colligere[1]). Ita autem alium alia argumenta e privata persuasione praedicavisse per se intellegitur. Cuius rationis eximium exemplum est prior Aug. Weisii commentatio (1863).

Optime igitur meriti sunt A. Kiesslingius (1877) et Frid. Schoellius (1880), qui demonstrarent illas quaestiones explicatum non iri nisi versibus 1—40 argutissime subtilissimeque exploratis, cum inprimis nonnullarum vocum (in v. 10 et 39) sensus certe finiendus esset. Hoc autem perspecto ipso nondum ad exitum desideratum perventum est. Nam quod usque ad hunc diem nemo est, qui se verum de illa re indagasse merito glorietur, eo fit, quod illud c. LXVIII^{a} poëticum est responsum ad privati hominis litteras, quas nobis minime notas esse moleste ferimus.

Nostrum nunc quidem est, quae in prioribus dissertationis partibus de carminis LXVIII^{a} argumentis invenimus, cum versibus 41—160, de quorum contextu postea disseremus[2]), conferre et contendere. Respiciamus ergo, ad quem deliberationum finem progressi simus (cf. p. 52): vv. 1—40 responsum esse videbantur Mallio cuidam datum, cuius precum altera omnino denegatur, altera partim impletur. Catullus enim amico, quae ipse habuit »scripta«, tribuere voluit. Sequitur carmen LXVIII^{a} epistolam his rebus missis adiectam fuisse.[3])

Atque »unitarii«, quot Kiesslingi Hoerschelmannique (cf. p. 49 h. d.) sententiae de verbis: »non utriusque«

---

[1]) cf. pg. 56.

[2]) cf. p. 62 sq.

[3]) Gruppius carmen 68^{a} ad exemplum carminis 65 a rhetore quodam fictum esse animum induxit. Cuius praecipuum documentum (p. 504) ei esse videbatur »das mühsame Vorbringen der Situation, so dass hier erzählt wird, was in einem wirklichen Brief vielmehr vorausgesetzt würde; das Stück ist geschrieben für den Leser, nicht für den Empfänger«. Equidem censeo nimio quaestionum de carmine 68^{a} propositarum numero satis demonstrari condicionum causarumque poëmatis indicium, quale insciis lectoribus usui esset, minime adesse.

assentiuntur, ita porro concludunt (cf. Kiessl. p. 16): Carmini LXVIII[a] munus poëticum, quod Catullus praebuerat, additum fuisse manifestum est. Quia autem in libris msscr. inde a versu 41 praeclarum carmen laudativum in nomen »Alli« — quem ipsum etiam in vv. 1—40 allocutum esse poëtam simpliciter statuunt — exorditur, quid magis evidens quam Catullum sodali flagitanti, cum nihil aliud dare posset, hoc poëma, quo ille ipse summa praedicatione effertur, misisse? Huic autem opinioni varia opponi possunt. Mallium enim a Catullo id accepisse cognovimus, quod illa »una capsula« continebatur (cf. Weber. p. 117). Unum autem carmen tantum in ea fuisse haudquam e voce »capsulae« ipsa effici potest, quae quin complures chartas, etsi non maxima erat, comprehendere potuerit, quis est qui dubitet (cf. Monsium p. 16)? Sed ut concedam vere unum carmen solum in capsa abditum fuisse: idem, cum epistolae (vv. 1—40) verbis illam capsulam solitariam Roma Veronam translatam esse traditum sit, in urbe ipsa iam perfectum fuisse colligere necesse est. Cur autem, quaeso, poëta tale opus amico, in cuius gloriam condiderat, non confestim reddidit, ut secundum optata gratulationesque in vv. 149—160 facta decuit? Cur in itinere secum tulit? Cur id solum? An fortunae forte casu evenit, ut Catullus eis ipsis temporibus, quibus amicus »munera Musarum« petiit, magnum carmen, quod in illius laudem composuerat, iam expolitum in bibliotheca itineraria haberet atque id unum in patriam transportaret? Verum hoc minime verisimile mihi esse videtur, praesertim cum ne uno quidem poëmatis verbo opportunitas tam commode forte oblata indicetur.

Qui autem unitarii hanc explicationis rationem probare nolunt, eis una sola consilii via restat recta vocum »non utriusque« interpretatione utique proposita. Licet enim opinari Catullum, postquam amici preces accepit, tum demum carmen 41—160 illi ipsi proprie conscripsisse, quod, quia in »scriptis« (v. 33) Roma allatis esse non potuit, praeter ea atque una cum iis Mallio tributum esse putes. Sed primum talem coniecturam nullo carminis LXVIII verborum fundamento niti reputandum est. Quare etiam Catullus tam diligenter sese excusare debuit (vv. 37/8), si dona missa, quanto minus copia, tanto magis qualitate excellebant, cum carmen amici ipsi nominatim dedicatum daretur? Qui denique credibile est poëtam, si modo veros animi sensus motionesque in carmine LXVIII prodidit, cum sibi rerum amabilium voluptatem inde a fratris morte prorsus abesse diceret, continuo carmen haud exiguum condidisse, in cuius partibus maxime praecipuis praeclarisque memoria lascivorum amorum quasi helluatur? Ne in contrariam

partem attuleris[1]) Catullum versibus 15—32 res modo amatorias detestari, non autem amoris sensum! Si enim leges, quibus animi humani condiciones et momenta definiuntur, considerabis, incredibile esse videbitur hominem sincere atque ex animo gaudentem dolentemque licentiosam invitationem prae gravi aerumna abhorrere et eodem temporis vestigio imagines venereas libidinosasque ante oculos habere (cf. Weisium 1863 p. 5).

Quae argumenta etiam Skutschii (p. 138 sqq.) sententiae de conexu carminum LXVIII[a] et [b] obstant. Is enim Catullum facit dicentem se, quod unam tantum capsulam habeat, nil »scriptorum« amico mittere posse, qui contentus esse debeat illo carmine »scriptorum« loco ei proprie composito. At praeter obiectiones supra dissertas recordandum est illo Skutschi proposito in incerto relinqui, cur Catullus unam capsulam non ipsam miserit, sed pro ea aliud munus poëticum. Nam num Skutschius e verbis carminis LXVIII[a] talem doni vicarii sententiam enucleare possit, valde dubito. Ac ne ex opinione quidem illa cogitatio carmini immitti potest. Verba enim versus 39: »non utriusque« (= alterutrius tantum) non iam summatim ad »Musarum munera« qualiacumque referre licet, sed declarandum est: alterutrius tantum, i. e. munerum Musarum = poëmatum, quae qualiaque praecedentibus vv. 33—36 definita sunt. Itaque licitum non est aliud cogitatum in v. 39 inopinato reponere (velut carminis modo in amici nomen compositi), quod vagis dictis »munerum Musarum« pronomine indefinito versus 39 repetitis fortasse supponi possit.

Magis quidem hoc substitutum placeret, si, ut fecerunt unitarii quidam (Magnus in »Fl. J.-B.« 1875 p. 851 et in »J.-Ber.« 1887/II p. 150 sq.; cf. Palmer. p. 347; Schanz. »R. L. G.« I. p. 150 sq.), »non utriusque« = »neutrius« esse censeremus, ut Catullus primo utrumque amici optatum recusavisse, sed hanc repulsam carmine LXVIII[b] Mallio proprie dedicato compensavisse videretur. Quia autem illud falsum esse scimus (cf. p. 48/9), hoc autem commenticium quiddam, eiusmodi propositum sine cunctatione reicimus.

Quodsi carmen LXVIII[b] neque illis »scriptis« (v. 33) denotatum neque a Catullo proprie in Malli honorem conditum esse constat — omnis coniunctio partium [a] et [b] sublata esse

[1]) Quod Magnus (»J.-Ber.« 1887/II p. 150 sq.) ad defendendam hanc opinionem adhibet: vv. 15—32 ad nugas eroticas attinere atque eas solas a poëta vitari, cum ab animo alienae fuerint, Lesbiae autem amorem ardentem nihilominus per dolores in Catullo durare, et e falsa illius loci interpretatione pendet et subtilem distinctionem inter nugas et carmina de Lesbiae amoribus pacta inducit, qualem re vera non exsistere videmus; cf. c. II, III, V, VII, XI etc.

videtur. Atque non modo rerum argumentorumque conexus deest, sed etiam enuntiatorum et verborum, qualem, ut versus 41 prioribus partibus bene applicetur, exspectes. Copulationem autem partium difficillimam esse eo ipso intellegitur, quod plurimi »unitariorum«[1]) de arta versuum 40 et 41 coniunctione iam desperaverunt. Ea enim vix longa sententiarum intercapedine[2]) artificiose statuta, quippe quae haudquaquam praecedentium versuum argumentis orta sit, obtineri atque »praeclarissima« fingi potest. Itaque, sive »unitarii« sumus sive »χωρίζοντες«, apud versum 41 magna incisio carminis nobis notanda est. Quod nisi concedis, mirabilissimum carminis compositionem proponis, cum Catullus videatur primum per epistolam familiarem, — quam pro argumentis alieno lectori maximam partem obscuris poëta in publicum edere noluerit (cf. Fenner. p. 25) — ad Mallium loqui, tum a versu 41 subito gravem et sollemnem amici laudationem habere, quem iam alio nomine gentili atque antea appellatum esse hic omittam, ad finem denique dicta quaedam privatissima ac quae familiari tantum (vv. 157/8!) perspicua fuerint, addere[3]); haec autem omnia continuo in una charta scripta esse dicuntur. Eiusmodi carmen vero Catullum composuisse mihi nunquam probabitur.

Itaque, ut dixi, utique carmen apud v. 40 graviter incisum esse fateri oportet (cf. Skutsch. p. 144; Palmer. p. 348). Quia autem argumentorum quoque nulla intercedit coniunctio inter utramque partem secundum ea, quae de vv. 1—40 invenimus, duo carmina omnino secernenda esse censere licet.

Atque in compluribus editionibus noviciis certus numerus singularum causarum (apud Baehrensium quinque, apud Riesium septem) proponitur, quibus duo poëmata separanda esse comprobetur. Quia autem commentatores eis aut refutandis aut defendendis laborem impertire solent, nos quoque has causas tractabimus Riesii ordinem (p. 218), quo vera commenticiis mixta sint, non servantes.

Ut autem quintam Riesii causam, quae ad nomina diversa pertinet, primum aggrediar, haec res iam in priore huius commentationis parte (cap. I) penitus perspecta est (cf.

[1]) cf. Harneck. p. 10: »Wir haben in der That bei v. 40 einen Augenblick inne zu halten . .«. — Kiesslingius re vera coniunctionem partium omisit, sed noluit fateri (cf. M. Schmidt. p. 782).

[2]) Harneck. p. 10; Magnus in »Fl. J.-B.« 1875 p. 852 (»Gedankenpause«) et in »J.-Ber.« 1887/II p. 150 sqq.

[3]) velut B. Schmidtius (in proll. ann. crit. ad v. 68) hanc unius carminis formam esse arbitratur: »corpus« quidem poëmatis elegiam in Alli nomen esse, cui exordium et conclusio epistolis similia affixa sint.

p. 13!). Ubi demonstravi hoc argumentum haudquaquam tam leve esse, quam unitarii simulabant, ut molestum impedimentum tollerent (cf. Magnum in »J.-Ber.« 1887/II p. 151; contra Birt. p. 16). Nam eis, qui c. LXVIII unum solidumque esse arbitrantur, aut duo gentilicia in unum hominem conferenda sunt aut alterum eorum emendationibus temerariis vel sermoni Catulliano contrariis abolendum est. Cum aliis igitur causis etiam nominum diversitas ad partes carminis dissecandas aliquid valere videtur.

Sextum quoque Riesii argumentum de malo versuum 40 et 41 conexu agens iam disputavimus (cf. p. 56) aeque ac secundum, quo quam mutabilis videatur Catulli erga amores animus, monetur (cf. p. 54 sq.). Quod porro ad primam Riesii quaestionem attinet, duo errata ea proponuntur. Dicit enim ille commentator separationis fidem eo quoque fieri, quod »munus poëticum« in c. LXVIII[a] renuatur (v. 14 et 32), in c. LXVIII[b] (v. 149) praestetur. Sed 1) ubi versuum 14 et 32 de »munere poëtico« Catullus locutus est (cf. p. 51 et 43 sq.)? Ceterum, si tamen, quod perverse fieri indicavi, verba »dona beata« et »haec . . munera« ad carmina referas, minime tibi liceat neglegere poëtam utrobique plurali usum esse, ut diceret »munera« et »dona«. Nam si quis hisce locis singularem numerum subdit, ut de »munere« disserat, pravam cogitationem: Allium certum quoddam donum poëticum flagitasse adiuvat. Praeterea 2) Riesius perperam »non utriusque« pro voce »neutrius« legi voluit. Quid autem de relationibus, quae inter illa munera in c. LXVIII[a] concessa et inter carminis LXVIII[b] argumenta intercedere videntur, censendum sit, iam satis disputavi (p. 53 sqq.), cum ostenderem ita quoque carminum disiunctionem commendari.

Haud ita magni autem aestimanda est tertia Riesii propositio, qua verba »desertum in lecto caelibe« (v. 6) et »Sitis felices et tu simul et tua vita« (v. 155) sibi officere statuitur. Hoc enim versu Catullus amico eiusque amatae[1]) fausta in futurum optat et ominatur. Immo, si poëta in v. 6 vere de uxore vel amata in aeternum amissa locutus esset, haec una causa sufficeret ad carmina disiungenda[2]). Quia autem talis

[1]) Haec de coniuge dicta esse nego, quia vox »vitae« ad designandam puellam amatam apud poëtas eroticos sollemnis est; cf. ipsius Catulli c. CIV/1.

[2]) Itaque Palmerus (»Hermath.« VI p. 349) hanc locum sic exposuit: »tu simul et tua vita« = »you et your life«, ut vox »tu« verbis »tua vita« repetita esse videatur. Confert autem Callim. (ad c. 66/40) »σήν τε κάρην ὤμοσα σόν τε βίον«, quod Catullus vertit: »adiuro te tuumque caput« (!).

interpretatio non potest admitti, cogitare fortasse licet Mallium in tempus amata caruisse vel satietate eius captum esse. Id vero utique mirum esse videtur, quod Catullus in v. 155 sq. ne minimum quidem de praesentibus condicionibus malis inter amicum eiusque puellam adumbravit (cf. Harneck. p. 4), sed ita de hac re disseruit, ut simpliciter nil aliud inde colligere possis quam Mallio tum summum cum amata usum fuisse. Quod Kiesslingi (p. 14) commento: Catullum illis verbis urbane amantium tum dissociatorum reconciliationem praesagire, declarari non posse manifestum est. Neque magis mihi placet Magni (»J.-Ber. 1887/II p. 150 sq.) opinio: Mallium-Allium tum arta amoris coniunctione cum puella sua consociatum fuisse neque minus antea, quippe qua versus 6 minime respiciatur. Eo enim id quidem certe apparet Mallium in tempus praesens nullam puellae consuetudinem habuisse.

Minimum etiam quartum et septimum Riesii argumenta valent, cum sola opinione orta sint. Hic enim de diverso sermone carminum LXVIII^a et ^b agit, cum vv. 1—40 per commune genus dicendi scriptos esse exponit, vv. 41 sqq. autem per grandem orationem, quae translationibus abundet. Atque erant, qui huic statuto reiciendo aut stabiliendo operam darent, cum singulas voces in utramque partem enumerarent. Simplicissima autem huius rei ratio haec est: utrumque poëma sermone vere Catulliano compositum esse videtur; sed c. LXVIII^a pro argumentis aridis humiliore genere scribendi conditum est, cum c. LXVIII^b, quo variae amoris res tractarentur, copiosis ornatisque verbis et enuntiatis redditum sit. Attamen etiam in c. LXVIII^a partes eminenti lumine illustratae non desiderantur, neque in carmine LXVIII^b loci aridiores (vv. 41/80/82/135) desunt. Potius igitur quam sermonis diversitatem ostendere argumentorum dissimilium, quae dissimilia verba sequuntur, mentionem facere debemus.

Nunc de quarto, quod Riesius enumeravit, argumento, de repetita fratris mortui lamentatione, loquemur. Quod ad quaestionem, utrum carmina secernenda sint necne, minimum valere puto. Sitne enim admittenda talis iteratio quattuor versuum in uno carmine an in duobus tantum poëmatis, e sua quisque voluntate decernere potest. Diversa igitur virorum doctorum iudicia leguntur. Constat quidem quattuor cohaerentium versuum iterationem neque in uno neque in duobus diversis carminibus Catulliani libri reperiri. Ideo autem talem repetitionem nunquam ei placere potuisse nemo scite contendat.

Obvia autem erat sententia illam iterationem interpolatione ortam esse. Atque vv. 21 sqq. tollere voluerunt Froehlichius (p. 263), Gruppius (p. 507), Weisius (pr. 1863 p. 23 sqq.)

Sed iam Frankius (diss. 1866; cf. Ellis. ed.² p. 271 ann.) demonstravit hac emendatione turpem tautologiam fieri:

»Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit; o misero frater adempte mihi,
Cuius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia atque omnes delicias animi.«

Praeterea anaphora »tu — tu — tecum — tecum« aeque ac vox »commodorum« v. 21 (quae in vv. 92 sq. deest!) ad versum 11 (»incommoda«) spectans confirmat illos versus (21 sq.) vere suo loco legi. Neque poëtam querelam e v. 93 sq. simpliciter in priorem carminis partem transtulisse credas, quia illa in ipso c. LXVIII^a cum ceteris poëmatis partibus artissime conexa est. Ea enim illud dictum: »sed totum hoc studium sqq.« (v. 19) verum esse proditur atque demonstratur.

Aliae autem versuum 91 sqq. condiciones sunt. Eos enim cum versibus 21 sqq. conferentes non omnino congruere videmus:

c. 68^a.	c. 68^b.
19 Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors	91 que †uetet id nostro letum miserabile fratri
abstulit; o misero frater adempte mihi,	attulit; ei misero frater adempte mihi,
21 tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater,	93 ei misero fratri iocundum lumen ademptum,
22 tecum una tota est nostra sepulta domus sqq.	94 tecum una etc. etc.
— — — — — — — — —	— — — — — — — —
	— — — — — — — —
quae tuus in vita dulcis alebat amor.	— — — — alebat amor.
	97 Quem nunc tam longe . . . — — compositum cineres.

Atque cum v. 20 — uno verbo excepto — cum v. 92 conveniat, item vv. 22—24 cum vv. 94—96, versus 21 autem a versu 93 prorsus differat, totam partem 22—24 ad marginem adscriptam errore in versuum 92 sqq. conexum receptam esse ita, ut v. 93 distichi supplendi causa ab interpolatore fingeretur, ut opinatus est Riesius (p. 232), minime probabile mihi esse videtur. Non enim intellegitur, cur pro versu 21, qui ipse optime ad hunc locum transferatur, novus versus a falsario subditus sit (cf. Skutsch. p. 150). Itaque mihi versus 91—93 suo loco occurrere videntur. Nam v. 93 non, quod Riesius l. c. contendit[1]), argumentum versus 92 inepte iterat. Hoc enim Catullus se ipsum lamentatus est, quod sibi frater ademptus esset — illo autem fratrem, quod vita tam laeta pulchraque

[1]) Versus 93—96 enim ad exemplum Froehlichii (l. c.), M. Schmidti (»Fl. J.-B.« 1880 p. 778 sqq.), Hoerschelmanni (p. 23) sustulit.

orbatus esset. Vox »adimendi« autem consulto repetita esse videtur. Contra difficillime vv. 94—96 ad priorem partem adaptantur, cum in v. 93 frater ipse (»tecum« v. 94) non appellatus sit, ut in v. 92, ad quem versum 94 sqq. potius annecteres, nisi numeri modique prohiberent. Male igitur in v. 94 legitur »tecum«. Tum in v. 93 Catullus, ut dixi, fratrem dolet, quod e vita serena in Orci tristitiam mersus sit: num huic continuo, nulla coniunctione adhibita pentameter adiungi potest, quo depingitur, quam tristis Catullo (cf. v. 92) eiusque domui fratris mors fuerit? Itaque versus 94—96 mihi non probantur. Nam post v. 93 exspectandum esse arbitror pentametrum, quo, quare tam iocunda fratri fuerit vita, explicetur. Hunc autem versum in libris mscr. iamdiu defecisse puto atque igitur versus 22 sqq. (— nam v. 21 propter numeros inseri non potuit —) ad illum locum translatos esse. Quodsi tollimus vv. 94—96, illud »quem nunc sqq.« (v. 97) optime ad logicum subiectum versuum 93/(4), ad »fratrem«, referendum est, cum nunc perperam ad vocem »amoris« (v. 96) pertinere videatur. Sic igitur locum restituendum esse puto:

»quaene etiam nostro letum miserabile fratri
attulit: ei misero frater adempte mihi!
ei misero fratri iocundum lumen ademptum,
— — — — — [deficit!] — — — — —
quem nunc tam longe (etc.) . . . . .«.

Tum vero laetum fratris vitae »lumen« pulchre in contrarium tristis sepulcri in deserto litore Troiae siti legitur.

His septem quaestionibus, quas singulas non tam gravia secernendorum carminum argumenta esse censeo quam ipsam versuum 1—40 explorationem, breviter tractatis restat, ut relationes quoque, quae inter c. LXVIII[a] et [b] intercedere dicuntur, inspiciamus (cf. Weisium 1863 p. 21; Magnum in »Fl. J.-B.« 1875 p. 851 et 853; Kiesslingium p. 16; Riesium p. 218; Skutschium p. 149; Schoellium p. 471; Palmerum p. 347; Weberum p. 112 et 115).

Primum enim volunt versum 149 ad v. 32 pertinere:

149: »hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus, Pro multis . . . redditur officiis«.

32: »haec tibi non tribuo munera, cum nequeo«.

Sed vidimus vocem »munerum« (v. 32) ad »munera Veneris« referendam esse (cf. p. 43); in v. 149 autem de dono, quod constet e carmine, disseri ex ipsis verbis intellegitur. Illud »quod potui« autem non ad munera quaedam, quae Catullus praestare nequivit, spectat, sed ad sequens »pro multis . . officiis«, quae aequo dono se compensare posse modeste poëta negat.

Nullius deinde momenti est, quod nonnulli verba »hospitis officium« (v. 12) cum illo (v. 150) »pro multis, Alli, redditur

officiis« coniungere student. Amicum enim »hospitem« appellatum esse contendunt, quia Catullo et Lesbiae ad amorum usum domum suam (cf. v. 68) patefecisset. Sed neque »suam« domum Allius amantibus praebuisse videtur, sed domina illa ignota fecit (cf. v. 156), neque credibile est lenocinium sacro »hospitii« nomine significatum esse.[1])

Quod denique in omnibus fere libris manuscriptis (etiam in codd. O et G) carmina LXVIII[a] et [b] coniuncta leguntur, non flocci facio. Saepius enim in codicibus bina carmina succedentia hunc in modum conglutinata sunt (cf. II et III; IX et X; X et XI; XXII et XXIII; LXV et LXVI et LXVII; LXVIIII et LXX et LXXI)[2]). Atque nuper Schulzius monuit in cod. M (de quo cf. p. 4 ann. 2!) apud v. 40 signum »/« legi, quo in illo libro nonnunquam carmina falso coniuncta distinguerentur (cf. c. CII et CIII). Quod signum in ipso codice Veronensi, ubi iam unum poëma LXVIII scriptum esse in p. 11 ann. 2 notavi, fortasse adhibitum fuerit aut ex alio libro vetusto in cod. M translatum esse potest. Nam id a recentiore quodam, velut Itali, manu additum esse non credo, quia certa sententia ad separationem spectans inde a Rodio demum reperitur.

Pauci commentatores, qui, quamquam incisionem apud v. 40 statuendam esse non neglexerunt, tamen unum carmen tenebant, proprias de poëmatis compositione opiniones protulerunt.

Ellisius quidem (comm. p. 320/1, ed. ² p. 168/9 ann.) carmen LXVIII ad unum hominem missum esse voluit, sed e duabus partibus, quae diversis scriptae essent temporibus, confectum esse videri. Ut autem haec sententia, quae a vera carminis LXVIII[a] interpretatione valde abhorret, satis illustretur, Magni (in »Z. f. d. G.-W.« 1878 p. 496) affero iudicium: »Wie soll man sich das vorstellen? vv. 1—40 werden direkt an den Freund geschickt; lange Zeit vergeht, Allius hat längst sein Leid vergessen: siehe, da erhält er eines Tages das Bruchstück eines Gedichtes . . . mit der ergebenen Bitte, es an die früher geschriebene Antwort gefälligst anzuhängen«.

Alia invenit Riesius non magis probabilia, cum proponeret (p. 218/9) c. LXVIII[b] litteras Catulli ad alterum amici scriptum respondentis esse, quod Mallius carminis LXVIII[a] repulsa (?) non esset deterritus, quin iterum poëtam precibus adiret. Cui non modo vera vocis »non utriusque« explanatio officit, sed

[1]) Errare igitur Ellis. videtur, qui (comm. ¹ p. 323 ad v. 12) putat Catullum illis verbis denotavisse: »the duty of a friend whom you have entertained (by providing the house, in which the poet and Lesbia met)«.

[2]) cf. Baehr. ed. ² prol. p. XXXI sq.

etiam, quod per se incredibile esse videtur Mallium rursus amicum tam dolorosum optatis vexavisse, praesertim cum, quod Riesius e v. 155 enucleavit, amores in tempus amissos recuperavisset. Quid enim felix ille homo tum »muneribus Veneris« a Catullo praestandis indigebat (cf. Magnum in »J.-Ber.« 1887/II p. 145 sqq.)?

Maxime absurda autem Weberi ratio mihi esse videtur (»Q. C.« p. 98—127). Hic enim Catullum putabat amici Malli litteras accepisse (v. 2: »mittis« et v. 27: »scribis«), quibus »epistolium« Alli cuiusdam »munera et Musarum et Veneris« petentis adiunctum esset. In c. LXVIII deinde poëtam ambobus simul respondisse. Quae opinio ipso primo carminis versu refutatur. Nam qui Mallius »fortuna casuque oppressus« esse potest ac per lacrimas epistolam scripsisse, si alius quidam homo rebus adversis vexabatur? Versu 1 autem vage Mallium »subito afflictum« depingi (Weber. p. 105) nego. Neque intellego, quomodo amici illarum litterarum argumenta inter se dividere potuerint, cum Catullus modo unum modo alterum modo ambo simul (cf. v. 151: »vestrum«) allocutus sit.

Eo autem ipso, quod tam artificiosa proposita sunt, ut argumenta quidem carminum cohaerentia esse demonstretur, duorum poëmatum secretio optime defenditur.

Quaerendum denique est, num vv. 41—160 ipsi unum continensque poëma sint (LXVIII^{b}). Si vero totius carminis LXVIII^{b} compositionem contemplamur, eam non minus claudicare quam totius carminis LXVIII fateri debemus. Nam partem, qua Allius a Catullo sollemniter praedicatur, appendix (vv. 149—160) sequitur privatarum rerum cum amico communicatarum [1]), quam concinnam praecedentium partium conclusionem esse nemo dixerit (cf. Weisium 1863 p. 21). Praeterea in v. 149/50, — sive proprium nomen ibidem legis sive vocem »aliis« —, alterius allocutio incipit, cum in vv. 41—148 utique de amico narratum sit. Etiam in vv. 149—151 sententia atque nonnunquam verba versuum 41—50 iterata esse videntur.

Itaque Riesius (p. 219) vv. 149—160 carmen absolutum esse proposuit, quod arte cum argumentis versuum 41—148 coniunctum esset. Nam manifestae relationes inter utrumque poëma inveniuntur: verba »hoc . . munus« (v. 149) ad totam laudationem praecedentem spectant, »pro multis . . . officiis« (v. 150) ad versum 42: »quantis . . officiis«, »et domus ipsa, in qua . .

[1]) Hanc ad rem Fennerus p. 29: »v. 149—160 autem epistolium est ad carmen adscriptum (?), quo iterum gratias poëta amico agit«. Id. p. 48: »denique ad Allium, ad quem data est, elegia redit«.

etc.« (v. 156) ad v. 68. Quibus rebus carmina arta necessitudine conexa esse demonstratur.

Quare mihi placet ad Riesii exemplum c. LXVIII^{c} (= vv. 149—160) separare ut scriptum poëtico dono LXVIII^{b} privately additum. Quo declaratur, cur sententiae versuum 41 sqq. initio epistolae LXVIII^{c} plane repetantur. Catullus enim non modo Allium ipsum privatim, quid sibi vellet carmen laudativum, docere debuit, sed etiam encomii lectores.

Ceterum in hanc tripartitionem defendendam etiam artificiosa compositio, quam versibus 41—148 inesse Skutschius in »Rhein. Mus.« 1892 p. 138 sqq. demonstravit, adhiberi potest.

Cuius schema (l. c. p. 140) est:

c. LXVIII^{b}

41—50 exordium	51—56 de Catulli amore; imago.	57—72 binae imagines; de Lesbia.	73—86 de Laodamia.	87—90 de Troia.	91—100 de fratre.

101—104 de Troia.	105—118 de Laodamia.	119—134 binae imagines; de Lesbia.	135—140 de Catulli amore; imago.	141—148 conclusio.

Haec mira compositio autem, quam ex Alexandrinorum operibus translatam esse dicunt, neque ad c. LXVIII^{a} neque ad c. LXVIII^{c} continuata esse videtur. —

Vidimus ergo primum versus 1—40 proprium esse carmen, quod ignoto poëmatum muneri ad Mallium quendam misso additum erat; vv. 41—148 autem ab eo alienos esse, quippe quibus Alli nomen in gravem splendidumque modum praedicetur. Hoc autem carmen LXVIII^{b} epistola privata vv. 149—160 = LXVIII^{c} comitata est.

Atque cur carmina LXVIII^{b} et ^{c} cum ^{a} conglutinata sint tamque diu manserint, tribus causis explicari posse puto: et similitudine (cf. Fenner. p. 25) nominum »Alli« et »Malli«, et falsa coniunctione versuum 32 et 149 (»munera — munus«), et querela de morte fratris iterata, quam apud v. 93 iam pridem interpolatam legi equidem existimo.

Vita.

Alfonsus Guilelmus Kalb natus sum Eichstadtii a. d. XIV. Non. Sept. anni h. s. LXXVI patre Augusto matre Augustina e gente Teufel. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis in schola Norimbergensi imbutus anno h. s. LXXXV eiusdem oppidi gymnasium Melanchthonianum adii. Duobus autem annis post in gymnasium Passaviense transii, quod per septem fere annos frequentavi. Tum in Augustanum St. Annae gymnasium traductus anno MDCCCXCIV maturitatis testimonio instructus sum. Deinde Erlangae, Lipsiae, Monachii et Graecarum Romanarumque et Indogermanarum litterarum studiis philologis operam dedi. Scholis enim interfui virorum doctissimorum: Roemer, Luchs, Heerdegen, Poehlmann, Geiger, Ribbeck, Windisch, Wachsmuth, I. v. Mueller, v. Woelfflin, v. Christ, Furtwaengler, Kuhn, Paul. Superatis examinibus publicis, postquam seminario paedagogico in Maximiliani gymnasio Monacensi per unum annum instructus sum, nunc in gymnasio Onoldiae magistri adiutoris munere fungor.

10